Concil. Aurel. 2. in illis verbis: *Presbyter, vel Diaconus, ſi nec litteras, vel baptizandi ordinem neſciat, nullatenus ordinetur.* Ex quibus deducitur in promovendo ad ordinem Presbyteratus ſufficere, ut baptizandi ordinem ſciat, aut ſi litteras non ignoret, cum disjunctive apponantur ea verba, *litteras ſciat, vel baptizandi ordinem.* Pro hujus canonis expoſitione ſciendum eſt, litteras neſcire diverſimode accipi in jure. Plerumque neſcire litteras ſignificat, neſcire legere, ſcribere, ſubſcribere, aut rationes conficere, *l. hac conſultiſſima* 21. ibi; „ Quod ſi te„ ſtator litteras ignoret, vel ſubſcribere nequeant, octavo ſub„ ſcriptore pro eo adhibito, eadem ſervari decernimus. *Et* l. „ fin. Cod. de teſtament. *ibi*: In illis vero locis, in quibus „ raro inveniuntur homines litterati, per præſentem legem ru„ ſticanis concedimus, antiquam eorum conſuetudinem legis „ vicem obtinere; ita tamen, ut ubi ſcientes litteras inventi „ fuerint, ſeptem teſtes, quos ad teſtimonium convocari ne„ ceſſe eſt, adhibeantur, & unuſquiſque pro ſua perſona ſub„ ſcribat. *Sicut e converſo in eadem lege litterati pro his accipiun„ tur, qui ſubſcribere ſciunt, ibi*; Si vero unus, aut duo, vel „ plures fuerint litterati, liceat eis pro ignorantibus litteras „ (præſentibus tamen) ſuſcriptionem ſuam interponere. *Si„ milia reperiuntur* in l. jubemus, l. noſtram, Cod. eod. tit. l. „ fin. §. ſin autem, Cod. de jure deliberandi, *ibi*: Vel ſi „ ignarus ſit litterarum, vel ſubſcribere præpediatur, ſpecia„ li tabulario ad hoc ſolum adhibendo, ut pro eo litteras „ ſupponat, venerabili ſigno antea manu heredis præpoſito, „ teſtibus videlicet adſumendis, qui heredem cognoſcant, & „ jubente eo tabularium pro ſe ſubſcribere, interfuerint. „ Et *l. diſcretis, Cod. qui teſtament. leg. ſed ſi* 11. *ff. de inſtit. l.* 3. §. *item, ff. de accuſat. leg. pater* 93. §. 1. *ff. de acquirend. hered. authentica, Sed novo, C. ſed ſi certum petatur, §. ſimiliter* 8. *de excuſatione tutor. leg. ſi duas* 6. *in fine, ff. eod. tit.* ubi plura cumulant Arnoldus Vinius, Mancinus, & alii. Sed proprie neſcire litteras eſt Grammaticam neſcire, ut de Sylla ajebat Julius Cæſar: *Sylla neſcivit litteras.* Quare litteratura accipitur ſtricte pro Grammatica *in leg. 1. Cod. Theodoſ. de Decanis urbis Romæ*, juxta Cujacium *l. 21. obſervat. c.* 10. Diomedem Grammaticum *l. 2. artis Grammaticæ*, Lipſium *in Lobiano, l. 3. c. 7.* Apulejo, Quintiliano, & aliis late illuſtrant Albericus Gentilis *in lectionibus Virgilianis, c.* 4. Vultejus *diſceptat. juris c.* 8. Unde in eo canone dum prohibetur ordinari Presbyter, vel Diaconus litteras neſciens, idem eſt, ac ſi prohibeatur ordinari ignarus linguæ Latinæ; disjunctiva autem illa, *vel*, accipitur pro conjunctiva, ut ſæpe in jure contingit, *leg. ſæpe, de V. S.* Senſus igitur canonis eſt: Presbyter, vel Diaconus ordinari non valet, qui ignarus eſt linguæ Latinæ, & ordinem baptiſmi neſcit; quia in Sacerdote, & Diacono, qui ſolemniter baptiſmum miniſtrare volent, deſideratur ſcientia ordinis baptizandi. Conc. Tol. 8. *can.* 8. ibi: *Sive baptizandi perfecte noverint ſupplementum.* Unde conjunctim requiritur in promovendo ad gradus Presbyteri, vel Diaconi, ut linguam Latinam, & ordinem baptizandi ſciant.

10 Tertio adverſatur canon 53. Conc. Carthag. 4. in illis verbi: *Omnes clerici, qui ad operandum validi non ſunt, ut artificiola, & litteras diſcant.* Ex quibus depromitur, eos tantum clericos litterarum ſtudio operam dare debere, & eas ſcire, qui ad operandum validi non ſunt: igitur qui ad operandum validi ſunt, aut litteras docere nequeunt, non coguntur eas ſcire. Pro hujus canonis interpretatione ſciendum eſt, tempore illius Concilii Maſſilianos hæretices publice docuiſſe, contra exemplum, & doctrinam Apoſtolorum, non licere clericis propriis manibus victum quærere, aut aliquam litterarum Facultatem docere; ſed de Dei providentia confidentes, de alieno victu, & labore vivere debere. Quem errorem, ut refellerent Patres Concilii Carthag. *in can.* 51. ſtatuerunt, ut clericus quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio quæreret victum. Habetur in Decreto, *capit. Clericus quantumlibet diſt.* 91. & apud Burchardum *lib. 2. cap.* 210. & Ivonem *part. 2. Decreti, capit.* 285. ita legitur: *Omnes clerici, qui ad operandum validi ſunt, & artificiola, & litteras diſcant.* Et *in can. 52. ſequenti*, definiunt PP. prædicti Concil. Carthag. ut clericus victum, & veſtimentum ſibi artificiolo, vel agricultura, abſque detrimento officii ſui prepararet; quod firmatum eſt *in cap. 1. de celebr. Miſſar.* ubi Deo annuente late dicemus. Eadem docet, jubetque Clemens Papa *lib. 3. Conſtit. Apoſtol. capit. ultim.* adducens Apoſtolorum exempla, & ſpeciatim Pauli tabernaculorum opificis, *Act. 18. verſ.* 24. Epiphanius *hæreſi* 20. fidem facit, ſuo tempore pleroſque Sacerdotes ſolitos eſſe propriis manibus operari. Synodus etiam Nicæna 2. *can.* 15. ſimilia ſtatuit, pauperibus clericis exempla Apoſtolorum proponens. Plura ad propoſitum refert Cabaſſutius *in notit. Concil. pag. 255. & ſeqq.* Tandem *in can.* 53. jubetur, ut artificiola, aut litteras diſcant, quia etſi litteras ſcirent, quæ ordini neceſſariæ erat; non tamen ut Magiſtri in eis diſcipulos imbuere valebant: quare jubetur, ut artificiolum diſcant, ut poſſint manibus operari; ut litteras diſcant, ut poſſint eas docere diſcipulis, & ex eo diſciplinæ exercitio victum quærere.

Exponitur can. 53. Conc. Carthag. 4.

PARS

BIBLIOTECA CENTRAL

PARS SECUNDA.

Additis Notis uberioribus ab Hiſtoria, & Chorographia.

TITULUS XV.

De ſacra Unctione.

CAPUT PRIMUM.

a Innocentius III.

CUM veniſſet ad Ap. Sed. ven. f. n. *b* Brandicuberen. Epiſcopus, clara nobis inſinuatione monſtravit, quod in conſecratione ſua ſacram non acceperat unctionem; quoniam apud vos non conſuevere Pontifices, cum conſecrantur, *c* inungi. Nos ergo, quod illi defuerat, mandavimus in ipſo *d* ſuppleri, facientes caput ejus, & manus per ven. f. n. *e* I. Epiſcopum Alban. aſſiſtentibus ei duobus Epiſcopis, ſecundum morem Eccleſiaſticum ſacro chriſmate deliniri; hoc enim Catholica tenet Eccleſia, non ſolum *f* ex præcepto divino, verum etiam *g* Apoſtolorum exemplo. In Exodo quoque legitur præcepiſſe Dominum Moyſi, ut Aaron, & filios ejus inungeret, quatenus ei ſacerdotio fungerentur. Et Anacletus origine *h* Græcus, qui a B. Petro fuit in Presbyterum ordinatus, & poſtea in Apoſtolatus officio *i* Clementi ſucceſſit, *j* tradidit in ordinatione ſua ungendos Epiſcopos more Apoſtolorum, & Moyſi: quia omnis ſanctificatio in Spiritu ſancto conſiſtit, cujus inviſibilis virtus ſancto eſt Chriſmati permixta. Unde ſcire te volumus duas eſſe ſpecies unctionis: exteriorem, quæ materialis eſt, & viſibilis, & interiorem, quæ *k* ſpiritualis eſt, & inviſibilis. Exteriore viſibiliter inungitur corpus; interiore inviſibiliter ungitur cor. De prima *l* Jacobus Apoſt. ait: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, *m* ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum. De *n* ſecunda Joannes Apoſt. ait: Vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis, & non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio ejus vos docet de omnibus. Unctio viſibilis, & exterior ſignum eſt interioris, & inviſibilis unctionis; unctio vero inviſibilis, & interior, non ſolummodo eſt ſignum, ſed etiam *o* ſacramentum: quia ſi digne ſumitur, vel agit, vel auget abſque dubio quod deſignat. Ad exhibendum autem exteriorem, & viſibilem unctionem benedicitur *p* oleum, quod dicitur catechumenorum, vel infirmorum; & conficitur chriſma, quod ex oleo fit, & balſamo myſtica ratione. Per oleum enim nitor *q* conſcientiæ deſignatur, juxta quod legitur: Prudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Per *r* balſamum enim exprimitur odor famæ; propter quod dicitur: Sicut balſamum aromatizans odorem dedi. Hoc igitur chriſmate ungi debet *ſ* Epiſcopus non tam in corpore, quam in corde; ut & interius habeat nitorem conſcientiæ, quantum ad oleum; & exterius habeat odorem famæ quoad proximum. De nitore conſcientiæ dicit Apoſtolus, gloria mea hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ meæ. Nam omnis gloria filiæ Regis ab intus. De odore famæ idem Apoſtolus ait, Chriſti bonus odor ſumus in omni loco, & aliis ſumus odor vitæ in vitam, & aliis odor mortis in mortem. Debet enim Epiſcopus bonum habere teſtimonium, & ab iis, qui intus ſunt, & ab iis, qui foris ſunt, ut cortina cortinam trahat, & qui audit, dicat: Veni, hoc unguento caput, & manus Epiſcopi conſecrantur. Per caput enim mens intelligitur, juxta illud: Unge caput tuum, & faciem tuam lava. Per manus opera deſignantur, juxta illud: Manus meæ diſtillaverunt. Manus igitur unguntur oleo pietatis, ut Epiſcopus operetur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Caput autem ungitur balſamo charitatis, ut Epiſcopus diligat Deum ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, & proximum ſuum ſicut ſeipſum. Caput inungitur, ut oſtendatur illius repræſentare perſonam, de qua dicit Propheta: Sicut unguentum in capite ejus, &c. Caput enim viri Chriſtus; caput Chriſti Deus, qui de ſe dicit: Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxit me; evangelizare me miſit pauperibus; Manus unguntur Epiſcopo, ut oſtendatur accipere poteſtatem benedicendi, & conſecrandi. Unde cum eas conſecrator injungit: *t* Conſecrare, inquit, & ſanctificare digneris Domine manus iſtas per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem, ut quemcumque conſecraverint, conſecretur, & quoſcumque benedixerint, benedicantur in nomine Domini. Unde in veteri Teſtamento non ſolum *t* ungebatur Sacerdos, ſed etiam *u* Rex, & Propheta, ſicut in libro Regum Dominus præcepit Heliæ: Vade, & revertere in domum tuam per deſertum in Damaſcum. Cumque perveneris illuc, unges Azael in Regem ſuper Syriam, & Jehu filium Namſi unges Regem ſuper Iſrael. Heliſeum autem filium Saphar, qui eſt de Abel, unges Prophetam pro te. Sed ubi Jeſus Nazarenus, quem unxit Deus de Spiritu Sancto, ſicut in actibus Apoſtolorum legitur, unctus eſt oleo præ conſortibus ſuis, qui ſecundum Apoſtolum eſt caput Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius Principis; unctio a capite ad *x* brachium eſt translata, ut Princeps ex tunc non ungatur in capite, ſed in brachio, ſive humero, vel in armo, in quibus Principatus congrue deſignatur, juxta quod legitur: Factus eſt Principatus ejus ſuper humerum ejus, &c. Ad quod etiam ſignificandum Samuel fecit poni armum ante Saul, cui dederat locum in capite ante eos, qui fuerant invitati. In capite vero Pontificis ſacramentalis eſt delinitio conſervata, quia perſonam capitis in Pontificali officio repræſentat. *y* Refert ergo inter Pontificis, & Principis unctionem, quia caput Pont. chriſmate conſecratur, brachium vero Principis oleo delinitur, ut oſtendatur, quanta ſit differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis auctoritatem. Quia vero Chriſtus fecit nos in Sanguine ſuo Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, propter quod Petrus Apoſtolus ait; Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium; idcirco in novo Teſtamento non ſolum Sacerdotes, & Reges unguntur, ſed omnes Chriſtiani *z* bis ante baptiſmum, ſed oleo benedicto, primum in pectore, deinde inter ſcapulas; & bis poſt baptiſmum, ſed chriſmate ſacro, primum in *aa* vertice, demum in *bb* fronte. In pectore namque baptizandus inungitur, ut per ſancti Spiritus donum abjiciat errorem, & ignorantiam, & ſuſcipiat fidem rectam, quia juſtus ex fide vivit. Inter ſcapulas autem baptizandus inungitur, ut per Spiritus ſancti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exerceat; quia fides ſine operibus mortua eſt, ut per fidei ſacramentum ſit munditia cogitationum. In pectore, ut per operis exercitium ſit fortitudo laborum. In ſcapulis, quatenus fides per dilectionem ſecundum Apoſtolum operetur. In vertice vero baptizatus inungitur, ut ſit paratus omni petenti de Fide reddere rationem, quia per caput mens intelligitur, juxta quod legitur: Oculi ſapientes in capite ejus, cujus ſuperior pars eſt ratio, & inferior eſt ſenſualitas. Unde bene per verticem, quæ ſuperior eſt pars capitis, intelligitur ratio, quæ ſuperior pars eſt mentis. In fronte ungitur baptizatus, ut libere confiteatur, quod credit. Quia corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem: memor ejus, quod Dominus ait: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego, &c. Ante baptiſmum ergo ungitur oleo benedicto, & poſt baptiſmum chriſmate ſacro, quia chriſma ſoli competit chiriſtiano; Chriſtus enim a chriſmate dicitur, vel potius a Chriſto dicitur chriſma, non ſecundum nominis formam, ſed ſecundum fidei rationem: a Chriſto vero Chriſtiani dicuntur, tamquam uncti deriventur ab uncto, ut omnes concurrant in odorem unguenti illius, cujus nomen oleum eſt effuſum. Per frontis chriſmationem *cc* manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio; quia per eam Spiritus ſanctus ad augmentum datur, & robur, unde cum ceteras unctiones ſimplex Sacerdos, id eſt Presbyter, valeat exhibere, hanc nonniſi ſummus *dd* Sacerdos, id eſt, Epiſcopus, debet conferre; quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum vicarii ſunt Epiſcopi, qui per manus impoſitionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum actuum Apoſtolorum lectio manifeſtat: Cum audiſſent, inquit, Apo-

ſtoli,

ſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem; qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum, cujus adventus per unctionis myſterium deſignatur; quia columba, in qua Spiritus Sanctus ſuper Chriſtum in baptiſmo deſcendit, ad veſperam in cataclyſmo revertens, ramum retulit virentis olivæ. Cujus utique ſacramentum David Propheta prænoſcens, exhilarandam faciem in oleo prædicavit. Ungitur *ee* præterea ſecundum Eccleſiæ morem, cum conſecratur altare, cum dedicatur templum, cum benedicitur calix, non ſolum ex mandato legis divinæ, verum etiam exemplo B. Sylveſtri, qui cum conſecrabat altare, illud chriſmate perungebat. Præcepit enim Dominus Moyſi, ut faceret oleum unctionis, de quo ungeret tabernaculum teſtimonii, & arcam Teſtamenti, menſamque cum vaſis, de quibus etiamſi forſitan dubitaveris, cum a te fuerimus requiſiti, ſ. t. plenius inſtruemus. Verumtamen unctionis *ff* ſacramentum aliud quidem efficit, & figurat, tam in novo, quam in veteri Teſtamento. Unde non judaizat Eccleſia, cum unctionis celebrat ſacramentum, ſicut aliqui mentiuntur, qui neque Scripturas neque Dei novere virtutem. Monemus igitur, & exhortamur attentius, ac per A. ſ. m. quat. ad mandatum dil. fil. n. tit. S. Crucis Presbyteri *gg* Card. Apoſt. Sed. Leg. tu quoque ſacram accipias unctionem, ne quid tibi deſit ad virtutem ſacramenti; & cum ſacro fueris chriſmate delinitus, Archiepiſcopos, & Epiſcopos tuos ſimiliter ungas, & per eos facias manus ſacerdotum inungi oleo benedicto. Illum de cetero in ordinandis Presbyteris, & conſecrandis Epiſcopis morem ſervans, & faciens obſervari, quem Apoſt. Sed obſervat, quæ diſponente Domino cunctorum fidelium mater eſt, & magiſtra: Mittimus autem tibi per Card. prædictum Pontificalia ornamenta, *hh* caligas & *ii* ſandalia, *jj* amictum, & *kk* albam, *ll* cingulum & ſuccinctorium, *mm* orarium & *nn* manipulum, *oo* tunicam & *pp* dalmaticam, *qq* chirothecas, *rr* annulum, *ſſ* planetam, &, *tt* mitram; *uu* Pallium vero per dil. fil. I. Capellanum noſtrum antea miſeramus. Et licet *xx* R. Pont. non utatur *yy* baculo paſtorali, tum propter *zz* hiſtoriam, tum etiam propter myſticam *aaa* rationem, tu tamen ad ſimilitudinem *bbb* aliorum Pontificum poteris eo uti, quorum omnium rationem idem Card. ſicut a nobis accepit, te poterit edocere.

NOTÆ.

1 a INnocentius.) Nec in hac ſexta, nec in tertia collectione, ubi reperitur præſens textus ſub eodem titulo, proponitur Prælatus, cui miſſa ſit tam diffuſa epiſtola de variis unctionibus, & earum myſteriis. Sed ſi hiſtoriam hujus temporis, & geſta Innocentii III. repetamus, facile conſtabit, Innocentium in præſenti reſcribere Archiepiſcopo Trinonitano, quem Primatem conſtituerat ipſe Pontifex, & a Leone ſacræ R. Eccleſiæ Cardinale Legato conſecrari fecerat, & Primatem totius Bulgariæ præfecerat. Cum enim Epiſcopus Brandicuberenſis, ut Legatus Regis Bulgarorum ad unionem Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ Romæ veniret, retulit Innocentio tempore ſuæ conſecrationis unctionem non accepiſſe; ideo reſcripſit Innocentius III. eum unctionem recipere debere per Joannem Epiſcopum Albanenſem, aſſiſtentibus aliis duobus Epiſcopis: & hujus unctionis occaſione prædicto Primati exponit varias in Eccleſia uſitatas unctiones, & earum myſticas rationes, ut referunt latius proſequentes hujus epiſtolæ hiſtoriam Spondanus poſt Baronium *anno* 1204. *n.* 12. Boſquetus *in geſtis Innocentii III. f.* 61. Igitur juxta ſupra tradita inſcriptio hujus textus ita reſtituenda eſt, *Innocentius III. Trinonitano Primati Bulgariæ.*

2 b *Brandicuberenſis.*) In ſexta collectione Raymundi legitur, Bracharenſis, ſed mendoſe, cum Bracharenſis Eccleſia ſit in Luſitania, ut notavi *in c. accepimus, de ætat. & qualit.* & in præſenti agatur de improbanda conſuetudine Græcorum, qui unctionem in conſecratione Epiſcoporum, & ordinatione Preſbyterorum omittebant. Legendum igitur, *Brandicuberenſis*, ut legitur in dicta collectione, & in geſtis Innocentii III. *d. fol.* 61. Brandicuberenſis Epiſcopus Blaſius dictus, Romam pervenit anno 4. Pontificatus Innocentii III. ut refert Spondanus *ubi ſup. n.* 13.

3 c *Inungi.*) Sed ſi totalis, & ſubſtantialis materia conſecrationis Epiſcopalis eſt unctio cum chriſmate in capite, & manibus, ut docent Franciſcus Silvius, & Guillelmus Mezurius, quorum ſententiam refert Diana *p.* 12. *tr.* 1. *reſol.* 13. vel ſaltem partialis, ut voluerunt Medina *de continent. l.* 1. *c.* 17. Iſambertus *in* 3. *p. D. Thomæ, tr.* 3. *de ſacram. Ordin. diſp.* 3. *art.* 4. quomodo Græci unctione non utebantur, cum circa materiam, & formam Sacramentorum non poſſit conſuetudo introduci. Huic difficultati facile ſatisfieri poteſt, ſi amplectamur ſententiam eorum, qui aſſeruerunt, materiam conſecrationis Epiſcopalis eſſe impoſitionem manuum, ut probari videtur ex Apoſtolo 1. *ad Timoth. c.* 4. *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyteri.* D. Ambroſio *l. de ſacerdot. dignit. c.* 5. D. Hieronymo *in c.* 51. *Iſaiæ*, Eamdem defendunt Vaſquez 3. *p. in* 3. *diſp.* 140. *c.* 5. *n.* 39. Bellarm. *l.* 1. *de ſacramentis, c.* 9. Coninch *eod. tr. diſp.* 20. *dub.* 7. *concluſ.* 1. Bernal. *eod. tr.* 1. *diſp.* 47. *ſect.* 6. *n.* 14. Diana *p.* 12. *tr.* 1. *reſol.* 17. unde juxta iſtorum ſententiam, cum tantum ad ſolemnitatem, non vero ad eſſentiam deſideretur hæc unctio in conſecratione Epiſcopali, licet non rite, tamen valide negligebatur a Græcis, nec ejus omiſſio conſecrationem vitiabat. Et ſi adhuc ſuſtineatur contraria ſententia, videlicet unctionem iſtam Epiſcopalem pertinere ad materiam remotam, ſaltem partialem; reſponderi poteſt, poſſe Eccleſiam Latinam adhibere pro materia ipſam unctionem; Orientalem vero manus impoſitionem, vel traditionem baculi, aut librum Evangeliorum. Dominus enim noſter in inſtitutione aliquorum Sacramentorum non ita præfixit materiam, ſicut in inſtitutione aliorum; in aliquibus enim tantum deſignavit, ut materiam traditionem alicujus rei externæ, & ſenſibilis, aptæ ad ſignificandos effectus, quos conferebant illa Sacramenta; non tamen deſignavit rem ipſam adhibendam, ſed reliquit judicio Apoſtolorum, qui inſpecto Eccleſiæ ſtatu eam præfinirent; quod dubium non eſt contigiſſe in Sacramento Ordinis, ubi materia, videlicet traditio librorum, vaſorum, & baculi, non fuit deſignata a Chriſto Domino, poſtea vero a Sanctis Patribus fuit præfinita, ut docent Bernal. *de Sacramentis diſp.* 47. *ſect.* 1. *n.* 1. Lugo *eod. tr. l.* 1. *c.* 1. *q.* 7. *n.* 78. Diana *p.* 12. *tr.* 1. *reſol.* 78. Unde in conſecratione Epiſcopali potuit Eccleſia Latina præfinire, ut materiam unctionem ſacram; Græca vero, licet non rite, quia Romana jura, & conſuetudines obſervare debet, valide tamen aliam deſignare, videlicet manus impoſitionem, aut baculi traditionem, potuit.

4 d *Suppleri.*) Cum enim non pars eſſentialis, ſed tantum ad ſolemnitatem ſpectans omitteretur, potuit poſtea ſuppleri abſque ulla iteratione, ut dicemus proximo commentario: debebat tamen hæc unctio ſuppleri ab ipſis, a quibus fuerat conſecratus, ſicut alii defectus in ordinationibus ſupplentur a miniſtris, qui ordines contulerunt, ut docent Armilla verbo *Ordo, n.* 8. & 10. Tabiena *eod. verbo, q.* 10. Innocentius *in c. Presbyter, de ſacramentis non iterandis*, Paz Jordanus *to.* 1. *l.* 5. *tit.* 3. *n.* 1. Imo & in ipſo die, in quo conſecratio Epiſcopalis fit, unctio fieri debet. Sylveſter verbo *Ordo* 2. *q.* 5. Angelus *eod. tract. n.* 14. Diana *ubi ſup. reſol.* 14. Sed hæc omnia ſupplere potuit Pontificis delegatio, qui unctionem commiſit Joanni Albanenſi Epiſcopo.

5 e *E F. n. S.*) Ita legitur in tertia collectione, ſed legendum eſt, *F. I.* Joannes enim patria Tuſculanus, a noſtro Innocentio creatus fuit Epiſcopus Albanenſis Cardinalis anno 1199. de quo, & Albanenſi Eccleſia plura Ughellius *tom.* 1. *Italiæ ſacræ, pag.* 297.

6 f *Præcepto divino.*) Docet Innocentius noſter hanc unctionem in ordinationibus Epiſcoporum ex præcepto divino provenire, & ad probandum adducit, quod legitur *Exodi c.* 28. ubi Dominus præcepit Moyſi, ut Aaron, & filios ejus in ſacerdotes ungeret: unde fluxit apud Hebræos conſuetudo ungendi ſacerdotes, de qua unctione ultra Theologos poſitivos *in d. c.* 28. *Exodi*, agunt Seldenus *de ſucceſſ. Hebræorum l.* 2. *c.* 9. P. Menochius *l.* 2. *de Repub. Hebræorum, c.* 5. Et licet hoc præceptum legis veteris cæremoniale eſſet, & per conſequens mortiferum; tamen quia non typicum, ſeu præfigurativum erat, potuit ab Eccleſia ſuſcitari, ſeu innovari, juxta tradita *in c. tranſlato, de conſtit.*

7 g *Apoſtolorum exemplo.*) Non quia ipſi Apoſtoli unctionem acceperint tempore, quo ordinati, & creati fuerunt Epiſcopi, juxta veriorem opinionem, licet alii plures affirment B. Petrum a Domino fuiſſe in Epiſcopum unctum, & conſecratum, & ipſum alios in Epiſcopos ordinaſſe, quos refert Diana *d. tr.* 1. *reſol.* 80.

8 h *Græcus.*) Patria enim Athenienſis erat, Antiocho patre natus, ut referunt Baronius, & Coriolanus *anno* 103. & alii de vitis Pontificum agentes. Clementi ſucceſſit anno 103. licet aliqui eum confundant cum Cleto, ut notat Baronius *anno* 69.

9 i *Succeſſit Clementi.*) Innocentius III. in præſenti ſequitur opinionem eorum, qui putarunt Clementi ſucceſſiſſe Anacletum, ut Optatus Milevit. *l. de ſchiſmate Donat. c.* 2. ibi: *Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evariſtus.* Tertull. *l.* 3. *adverſus hæreſes, c.* 3. ubi hunc refert Pontificum ordinem: *Primo Petrus, & Paulus, ſecundo Linus, tertio Anacletus, quarto Clemens.* Etſi plures exiſtimaverint Anacleto ſucceſſiſſe Clementem, ut S. Ignatius *in ep. ad Mariam*: vulgo *Caſaboliten*, ibi: *Cum adhuc Romæ eſſes apud Beatum Papam Anacletum, cui nunc ſucceſſit longe Beatiſſimus Clemens, Petri & Pauli ſucceſſor.* Euſebius tam in Chronico, quam in hiſtoria Eccleſiaſtica, poſt Anacletum Clementem ponit. Epiphanius hæreſi 27. *Epiſcoporum Romanorum ſucceſſio hanc habet ſeriem: Petrus & Paulus & Linus & Cletus, Clemens.* D. Hieronymus *in catalog. ſcriptor. Eccleſiæ, c.* 15. *Poſt Petrum Romanus Epiſcopus ſecundus Linus fuit, tertius Anacletus, tametſi plerique Latinorum ſecundum, poſt Petrum Apoſtolum, putent fuiſſe Clementem.* Euſebius Dexter anno 96. *Per idem tempus S. Anacletus, vel Cletus ſucceſſerat Lino.* E contra cenſuit D. Aug. *ep.* 165. *Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus.* Ex quibus, & aliis auctoritatibus etiam probat Aloix *in notis ad vitam S. Irenæi, c.* 7. eumdem fuiſſe Pontificem Cletum, & Anacletum, non diverſos.

Tra-

10 j *Tradidit.*) *Ep.* 2. ut citatur a Burchardo *l.* 1. *Decreti, c.* 5. Ivone *p.* 5. *c.* 69. Anſelmo *l.* 6. *c.* 53. Gratiano *in c. ordinationes,* 75. *diſt.*

11 k *Quæ eſt ſpiritualis.*) Omiſſa alia ſpirituali unctione omnium electorum, juxta illud Pſalmi 44. relatum ab Apoſtolo ad Hebræos *c.* 1. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis;* quod cum intelligatur de Chriſto Domino, qui dicitur unctus, *actuum Apoſt. c.* 10. gloſſa verbo *Jeſu, in c.* 2. *de immun. eccl. l.* 6. dubitari nequit, quin per illam unctionem gratia Spiritus ſancti ſignificetur, quam omnes electi, & veri fideles recipiunt, juxta D. Joannem *ep.* 1. *c.* 1. *Sed vos unctionem habetis.* Omiſſis etiam aliis pluribus unctionibus, de quibus Fortunatus Schacchus *in ſuo Myrothecio.*

12 l *Jacobus Apoſtolus.*) *In ep.* 5. ibi: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Et licet Lutherus, & alii hæreſiarchæ auctoritatem prædictæ epiſtolæ negaverint, aſſerentes authenticam non eſſe, facile tamen refelluntur ex Concilio Trid. *ſeſſ.* 4. ubi inter canonica ſcripta recenſetur, & probat diſſerte Julianus Petri *in adverſ.* ibi: „ Audivi a Magiſtro meo, & D. Paſchali Toletano Archie„ piſcopo, dixiſſe S. Leandrum Gregorio epiſtolam canoni„ cam (*quæ ſub nomine S. Jacobi circumfertur*) eſſe Jacobi Ma„ joris; & cum Sanct. Gregorius Papa legiſſet neſcio, quæ „ apud S. Hieronymum (*quem merito multum reveretur E. S.* „ *R.*) quæ legerat etiam ſæpe Leander, ſed intelligebat S. „ Doctorem ejus rei non plenam habuiſſe cognitionem, ſed „ ſecutus erat, quæ legerat apud Euſebium (*cui ille nimis* „ *addictus fuit.*) S. Gregorium reliquiſſe fecit in medio, & „ nunquam vocat illum in Epiſtolæ citatione Jacobum fra„ trem Domini, aut Minorem, nec Majorem; ſed ſæpius „ (*ſicut ſcriptum eſt*) dicit. *Nec multo poſt;* D. Bernardus Ar„ chiepiſcopus Tolet. illuſtravit epiſtolam S. Jacobi, quam „ probavit compoſitam eſſe a S. Jacobo Zebedæi filio; tranſ„ miſſam vero Judæis converſis ex duodecim Tribubus diſ„ perſis per Hiſpaniam: deinde Miſſa Muzarabum S. Jacobi „ loquitur de Jacobo Zebedæi, & ejus dicit eſſe epiſtolam „ canonicam: tandem Miſſam S. Jacobi inceptam ab ejus di„ ſcipulis auxit Eugenius Evangelio, Epiſtolaque; poſt D. „ Iſidorus, & alii, ubi ponuntur nonnullæ epiſtolæ, quæ Ma„ joris ſunt Jacobi, ut ſemper in Hiſpaniæ traditione ſcitum „ eſt. Illam incepit perficere S. Melantius Tolet. Archiepi„ ſcop. Epiſtolam Honoratus, Pelagius, Audentius, Olym„ pius, Gregorius Toletani Pontifices, tamquam Majoris Ja„ cobi cenſuerunt habendam, & in multis commentariis in„ ſigniter illuſtrarunt. In chronico vero de Jacobo Majori, „ qui duodecim Tribubus in Hiſpania conſtitutis, ut docet „ Sophronius, prædicavit, & epiſtolam canonicam ſcripſit, „ ut docet Iſidorus, & ante eum alii celebres ſcriptores Hiſ„ pani, quorum fuit eo ſæculo communis opinio, ut Miſſa „ S. Jacobi, & a S. Iſidoro promulgata, a Melantio addita, „ aucta vero a S. Serrano Aſturio, manifeſtiſſime teſtantur „ & alii. „ Probant, & defendunt, ut authenticam epiſtolam hanc D. Jacobi Sixtus III. Pontifex Maximus *ep. de malis doctr.* quæ extat *t.* 5. *Biblioth. veterum Patrum*, Danthes Allegerius *cantu* 20. ubi Chriſtophorus Landinus, Sebaſtianus Ferra Auguſtinianus 2. *p. diſcipl. prædic. fol.* 20. Jacobus Philippus Bergomas *l.* 8. *ſupplem. chron. an.* 47. Antonius Honcala Canonicus Abulenſis *comment. in Geneſim, cap.* 21. Antonius Carracciolus Canonicus regul. *contr.* 1. *de adventu D. Jacobi, fol.* 132. Didacus Danza *in proleg. com. in hanc epiſtolam*, P. Mariana *de adventu D. Jacobi in Hiſpan. & in ſcholiis ad eamdem ep.* Cornelius a Lapide *in proœm. comment. ipſius epiſtolæ*, Gaſpar Sanchez *tr.* 3. *de profectu D. Jacobi*, Pucate *l.* 4. *conven. utriuſque Monarch. c.* 18. §. 3. Carillo *in ſuis annalib. fol* 30. Tamayo de Vargas *ad Luitprandum, fol.* 185. idem *in defenſ. Flavii Dextri, monit.* 8. Bellarminus *t.* 2. *de ſacram. c.* 1. *de ſacram. Unctionis:* fuſe Vivar. *in comment. ad Flavium Dextrum, anno* 32. *n.* 6. noviſſime Fr. Antonius a Matre Dei *præludio* 1. *de auctorib. ſacræ Scripturæ, dub.* 19. §. 5.

m *Ungentes.*) De hac unctione infirmorum, & ejus miniſtro late agemus *in c. quæſivit* 24. *de verbor. ſignif.*

n *Secunda.*) Apud ipſum in epiſtola ſecunda, de qua unctione ſpirituali jam ſupra egi.

13 o *Sed etiam Sacramentum.*) Ex his verbis deduci videtur, ſacramentum non eſſe ſignum viſibile, ſeu ſenſibile, contra vulgarem ſacramenti diffinitionem, & textum *in c. ſignum* 33. *de conſecr. d.* 2. ſiquidem Innocentius noſter ſcribit, ipſam interiorem, & inſenſibilem unctionem eſſe ſignum, & ſacramentum; ergo cum illa non ſit ſenſibilis, ſeu viſibilis, deducitur ſacramentum ſine ſigno ſenſibili dari poſſe. Agnoverunt difficultatem Hoſtienſis, Abbas, & alii antiquiores in præſenti; quorum ſolutionibus omiſſis, ut breviter ſatisfaciamus, ſciendum eſt, in ſacramentis Eccleſiæ dari, & diſtingui ſacramentum tantum, rem tantum, rem & ſacramentum ſimul, *c. cum Marthæ*, ubi Abbas Antiquus *n.* 9. *de celebr. Miſſar.* Turrecremata *in princ. d.* 1. *de pœnit. n.* 4. Sacramentum tantum eſt illud, quod ſignificat, & non ſignificatur ab alio ſigno, veluti actio externa, & res ſenſibilis, quæ non ſacrant. Res tantum dicitur, quod ſignificatur, & non ſignificat, qualis eſt primarius effectus Sacramenti, nempe gratia. Res vero, & ſacramentum ſimul eſt id, quod ſignificatur ab uno, & ſignificat aliud, ut character Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis, corpus Chriſti in Euchariſtia, *d. c. cum Marthæ, verſic. diſtinguendum.* Quibus ſuppoſitis facile diluitur prædicta difficultas: ſacramentum enim debet eſſe ſignum ſenſibile, habito reſpectu ad id, quod eſt ſacramentum tantum: quod autem docet Innocent. III. in præſenti, intelligitur de eo, quod eſt res, & ſacramentum ſimul, nempe charactere, qui ſignificatur a Sacramento, & ſignificat gratiam animæ infuſam. Hoſtienſis *hic, n.* 19. id enim, quod dicitur res, & ſacramentum ſimul, non repugnat eſſe ſpirituale, & inviſibile, ut conſiderant Granados *tom.* 4. *controverſia* 3. *tract.* 1. *diſp.* 2. *nu.* 5. Cano *de ſacram.* 1 *p. ad ultimum argum.* Conradus Kling *l.* 4. *loc. comm. cap.* 39 Alia tradit pro expoſitione prædictorum verborum Turrianus *pro can. Apoſt. l.* 1. *c.* 17. & 18.

p *Oleum.*) Aliud enim eſt oleum, quod conſecratur ad materiam remotam ſacramenti extremæ Unctionis; aliud quod benedicitur ad materiam Confirmationis. Primum quod conficitur ad ſacramentum extremæ Unctionis, eſt tantum olivarum oleum ab Epiſcopo benedictum, *c. finali* 1. *q.* 3. *c. ab infirmis* 26. *q.* 7. *c. non ſatis, de ſimonia*, Concilium Florentinum *de unione Armen. verſic. Quintum ſacramentum.* Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 1. Probant Ant. Aug. *in epit. juris, l.* 26. *tit.* 1. Bellarm. *d. tr. de extrema unct.* Lantdmeter. *l.* 2. *de veteri monacho, c.* 96. plures ex Moraliſtis congeſti a Leandro *t.* 1. *de ſacrament. de extrema unct. diſp.* 2. *q.* 1. Debet eſſe oleum olivarum quia quotieſcumque in jure noſtro mentio ſit unctionis faciendæ cum oleo, intelligitur oleum olivarum, ob rationes, quas erudite congerit Fortunatus Scacchus *l.* 1. *in Myrothecio:* & etiam ab Epiſcopo debet eſſe benedictum, quæ benedictio, an deſideretur ad eſſentiam ſacramenti, diſputant Arcudius *de ſacram. l.* 5. *c.* 2. plures congeſti a Torreblanca *de jure ſpirituali c.* 11. Leandro *ubi ſup. q.* 3. Secundum vero oleum, quod deſideratur in ſacramento Confirmationis, & ab Epiſcopo conficitur, debet eſſe mixtum cum balſamo, *c. paſtoralis, de ſacram. non iter.* Concilium Carthag. 2. *can.* 3. & Carthag. 3. *canon.* 36. Brachar. 2. *can.* 4. Plura adducit Baſilius *de Confirmat. p.* 1. *c.* 2. *cum quinque ſequent.* nos *in c.* 1. *de ſacram. non iterandis.* Diſcriminis ratio, quare oleum adhibendum in extrema Unctione tantum purum deſideretur; in Confirmatione vero debeat cum balſamo permiſceri, ea traditur ab Altiſſiodorenſi *in ſumma, l.* 4. *tr* 7. nimirum quia balſamum ſignificat bonum famæ odorem, *Eccleſiaſtici c.* 4. quem viventes tenentur per bona opera, & exempla dare, de quo admonentur cum confirmantur: is vero, qui jam morti proximus eſt, ſolum curam habere debet bonæ conſcientiæ, quæ ſignificatur per oleum, ut in noſtro textu docetur. 14

q *Nitor conſcientiæ.*) Alias rationes adducunt Schaccus *dict. l.* 1. *Myroth. cap.* 26. Vicecomes *de ritibus Confirmat. l.* 1. *cap.* 23.

r *Per balſamum.*) Plures ejus ſignificationes, & hujus mixturæ rationes tradit Vicecomes *ubi proxime.*

ſ *Ungi debet Epiſcopus.*) Ordo Romanus, ubi de conſecratione Epiſcopi ita legitur: *Mittat chriſma in caput Epiſcopi in modum crucis.* Unde cognoſcitur prima differentia, quæ verſatur in unctione Epiſcoporum, & presbyterorum; presbyteri enim oleo cathecumenorum tantum unguntur in manibus. Pontificale Rom. *de ordinatione Presbyteri*: ibi: *Pontifex ſedet cum mitra, & depoſitis chirothecis, annulo Pontificali aſſumpto, ponitur ei gremiale, ſive mappula ſuper gremium: & ſinguli ordinandi ſucceſſive coram eo genuflectunt, & Pontifex cum oleo catechumenorum unicuique inungit ambas manus ſimul junctas in modum crucis.* Obſervat Franciſcus Hallier. *de ſacris elect. tit. de ritib. pag.* 1024. Epiſcopi vero manus inunguntur chriſmate. Honorius *in gemma animæ, l.* 1. *c.* 181. & 189. ibi: *Ideo Epiſcopi oleo unguntur, ut Spiritum ſanctum Apoſtolis datum eſſe doceamur, & ut vita, & doctrina coram hominibus luceant, & eos a vitiis curare ſatagant.* Hallier. *ubi ſup. pag.* 1025. Alias rationes congerit Menardus *ad D. Gregorium pag.* 309. 15

t *Conſecrare inquit.*) Hic confunditur ab Innocentio unctio Presbyterorum cum unctione Epiſcoporum: in Presbyterorum enim unctione adhibetur dicta forma; in unctione vero manuum Epiſcopi illa: *Ungantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, & chriſmate ſanctificationis: ſicut unxit Samuel David in Regem, & Prophetam, ita ungantur & conſecrentur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti* Sic in Sacramentali D. Gregorii legitur, & ibi illuſtrat Menardus *pag.* 309. plura de his unctionibus congeſſerunt Franciſcus Hallierius *de ſacris elect. art. de ſacra unct.* Beyerlinch *in theat. vitæ humanæ, c.* 7. *verbo Unctio.* 16

t *Ungebatur Sacerdos.*) Cum hoc tamen diſcrimine, quod Pontifex Maximus ungebatur oleo ſancto in capite; ſacerdotes vero non ungebantur in capite, ſed tantum in veſtibus aſpergebantur, partim oleo ſancto, partim ſanguine arietis immolati. Menochius *l.* 2. *de repub. Hebræorum, c.* 5. *num.* 21. Unde Pontifex Maximus non lugebat defunctos; ſacerdotes vero lugere poterant. *Exodi c.* 29. *verſ.* 21. 17

u *Rex.*) Erat tamen apud Hebræos duplex Regum unctio, privata, & publica. Privata fiebat ante ipſam inaugurationem, publica vero in ipſa auguratione. Privatim uncti fuerunt Saul a Samuele in extrema parte civitatis. *l.* 1. *Regum, c.* 9. *verſ.* 27. David ab eodem Samuele in domo patris ſui in Bethlehem, 1. *Reg.* 16. *verſ.* 13. Jehu a filio Phophetæ ſeorſim in cubiculo, *l.* 4. *Reg. c.* 9 *verſ.* 6. Publice etiam uncti fuerunt David, Salomon, & Johacaz, *l.* 4. *Reg. c.* 2. *verſ.* 3. ibi: *Tulit populus terræ Johacaz filium Joſiæ, & unxerunt eum, & conſtituerunt eum Regem pro patre ſuo.* Unde cognoſcitur magnum diſcrimen inter unctionem Pontificis Maximi, & Regis: nam Pontifex ungebatur publice coram populo apud tabernaculum Domini. *Exodi c.* 29. *verſ.* 4. & *Lev.* 8. *verſ.* 3. Rex vero aliquando privatim, aliquando publice, ut ſupra dixi. Alia etiam differentia inter prædictas 18

unctio-

unctiones Regis, & Pontificis conſideratur. Pontifices enim ungebantur oleo ſancto confecto ex myrrha, cinnamomo, calamo, caſia. *Exodi c. 29. verſ. 7. & c. 30. verſ. 23.* Reges autem ſimplici oleo ungebantur, ut probat, & defendit Becanus *in analogia, c. 16. q. 7.* licet contrarium teneat Fortunatus Schaccus *Eleothriſmaton Myrothecio 1. c. 21. in fine.* Plura de hac unctione Regum Hebræorum Genebrardus *in pſalmum 88.* Abulenſis *ad 1. Reg. c. 10. q. 1. & ſequent. & 1. Paralipom. c. 9. q. 2. 3. & 4.* Serarius *ad 1. Reg. c. 10.* Pineda *de rebus Salomonis l. 2. c. 6.* Salianus *t. 3. annal. veteris Teſtamenti, anno mundi 2962. nu. 80.* Ab hac unctione originem duxit unctio Imperatorum, & Regum. Unctionem Imperatorum Romanorum probat, & illuſtrant Gutherus *de jure manium c. 5. l. 2.* Imperatores Catholici unctionem recipiunt plerumque ab ipſo R. Pontifice, *c. venerabilem, de elect.* ibi: *Qui eum inungimus, coronamus, & conſecramus;* & *c. intelleximus, de jurejurando, Clement. 1. eod. tit.* Caſtaldus *de Imperat. q. 18. 26. & 39.* plura Hallier. *de ſacris elect. art. de ſacr. unct. §. 3. & 4.* Imperatorem autem Orientalem a Patriarcha Conſtantinopolitano inungi, refert Codinus *de officiis domus Conſtantinop. c. 27. de coronat. Imperat.* Ubi notavit Grethſerus, & ex ipſo Codino referunt Menardus *ad D. Greg. pag. 405.* Ramirez de Prado *in notis ad Luitprandum, an. 506. fol. 299.* Et quamvis hanc Regum unctionem ſibi propriam, & peculiarem eſſe Galliæ Scriptores intendant, ut docent Chopinus *l. 2. de Dominio Franciæ, tit. 2. n. 7.* Chaſſaneus *in catalog. 5. p. conſiderat. 30. & 31.* Guillelmus Benedictus *in c. Raynucius, verbo Duas, n. 77.* Caſtaldus *de Imperat. q. 18.* Petrus Greg. *in præludiis optimi Juriſconſulti, l. 1. c. 11.* Franciſcus Hallier. *de ſacris elect. pag. 1032.* Armacanus *in Marte Gallico, l. 1. c. 4. 8. & 15.* qui adducunt fabulam unctionis Clodovei, quam jam refellerunt, refutaruntque Valdes *de dignit. Regum, c. 14.* Palmiſotus, ſive qui auctor non ignobilis eſt inter Vindicias, & Martem Gallicum, *c. 8.* Tamen plusquam notum eſt, ab omnibus Regibus eſſe valde uſitatam, ut refert originem hujus unctionis alta repetens Rouſſellius *l. 6. hiſt. Pontif. juriſdictionis, c. 2.* Et ut a noſtris Catholicis Regibus exordiamur, Regem Vuambam unctionem accepiſſe, refert Julianus *in Chronico, in Vuamba,* ibi: *Suſcepit autem glorioſus Dominus Vuamba Regni gubernacula eodem die, quo ille* (ſcilicet Receſuintus) *obiit in ſupradicto die 18. Kalendis Septembris, dilata unctionis ſolemnitate in diem 14. Kalendis.* De unctione Regis Ervigii agitur in Concilio Tolet. 12. *c. 1.* ibi: *Sereniſſimus Ervigius Princeps Regni conſcenderit culmen, regnandique per ſacroſanctam unctionem ſuſceperit poteſtatem.* De Egica Vuitica, & aliis idem referunt Julianus *ubi ſup.* Morales *l. 12. chron. c. 41. 53. & 57.* Et generaliter Reges Gothorum unctionem accepiſſe in Eccleſia Toletana tempore coronationis, probatur ex exhortatione Patrum Eccleſiæ ad Principes; quam inter Concilia Toletana edidit D. Garſias Loayſa, & ex *l. 9. prologi fori,* ibi: *E que beneicen los Principes, e que los ſagran:* ubi notavit Villadiego *nu. 26.* & ex traditis a P. Higuera, & Ramirez, & Vargas *ad Luitprandum, ubi ſup.* Borello *de præſtantia Regis, c. 49. n. 83.* Loayſa *in notis ad Decretum Gundemari, fol. 176.* & in Conc. Tolet. 9. *fol. 475.* Morales *l. 12. c. 41.* Medera *de Monarchia Hiſpanica præſtantia, c. 12. §. 6.* Valdes *de dignit. Regnum Hiſpaniæ, c. 14.* Tamayo *in martyrol. die 1. Julii,* Auctore arbitrii ſupra cit. *c. 18.* Poſt ipſos Reges Gothos Alphonſus Rex VIII. inunctus fuit a Ramone Archiepiſcopo Compoſtellano, ut refert Garibay *l. 8. c. 4. an. 1135.* Item Alphonſus II. inunctus fuit in Eccleſia Burgenſi, ut in ejus hiſtoria refertur *cap. 103.* & Alphonſus VII. inunctus fuit in Eccleſia Compoſtellana a Didaco Ramirez ejus Præſule, ut refert Sandoval. *in ejus hiſtoria, c. 3. & 30.* Similiter in Regibus Aragoniæ, & Navarræ uſitatam fuiſſe hanc unctionem, ex hiſtoricis utriuſque Regni refert Valdes *d. c. 14.* Unde cognoſcitur, Reges noſtros, ut Reges Caſtellæ, Aragoniæ, & Navarræ, juxta veterem conſuetudinem unctionem recipere poſſe. Eam tamen unctionis conſuetudinem omiſerunt, quia jam jure hereditario omnes admittuntur non vero electionis, ut olim creabantur, quam, & alias rationes hujus omiſſionis tradunt Valdes *ubi ſup. n. 15.* Palmiſotus, ſive qui auctor eſt arbitrii: jure autem conqueritur Argenſola *l. 1. annal.* omiſſum a Monarchis noſtris hunc ſacrum ritum. De hac Regum unctione egregie diſſerit Petrus Damianus *ſerm. 70.* qui eſt primus *de dedicat. Eccleſiæ,* ab illis verbis: *Quintum eſt inunctio Regis.*

19 x *Brachium.*) Licet hoc antiquitus non ſemper obſervaretur; Carolum enim Magnum a Capite ad pedes inunctum fuiſſe, ex Gallicis Scriptoribus referunt Hallierius *de ſacris elect. ubi ſup. pag. 1032.* Menardus *ad D. Gregorium, pag. 403.* & de Carolo Calvo in ejus Capitulis legitur in ea verba: *Coronet te Dominus. Inunxit eum Hincmarus Archiepiſcopus chriſmate ad dexteram auriculam, & in fronte uſque ad ſiniſtram auriculam, & in capite.* Ex quo loco etiam conſtat, Reges aliquando unctos fuiſſe chriſmate, cum hodie tantum oleo cathecumenorum ungantur: igitur in brachio, ſeu harmo unctio fieri debet, cum pars illa corporis, excepto capite, honorabilior in homine ſit, ut ex ſacris, & prophanis ſcriptoribus notat Menardus *ad D. Gregor. ubi ſup. pag. 405.*

20 y *Refert ergo.*) Huic rationi alias adjungunt Pelagius *de planctu Eccleſiæ l. 1. c. 56.* Borellus *de Regis Catholici præſtantia, c. 49. n. 29.* Barboſa *in c. Valentinianus, 63. d.* & *de poteſt. Epiſc. 2. p. alleg. 31.* Diana *p. 21. tr. 1. reſolut. 88.* Illud tamen apud omnes conſtat, Reges virtute hujus ſacræ unctionis quodammodo conſecrari, & ſacratos manere; imo & in ipſa unctione ipſos recipere late ſacramentum, docuerunt Petrus Damianus *ſerm. 75. de dedicatione,* Archiepiſcopus D. Rodericus *l. 3. chron. c. 1.* ubi agens de unctione Vuambæ Regis Gothorum, ita ait; *Decrevit ſe Regis nomine imperare, ideo in majori Eccleſia urbis Regiæ unctionis ſuſcepit ſacramentum.* Sed proprie non continet ſacramentum, ut probant Palmiſotus *ſup. c. 8.* Ruſſelius *lib. 7. hiſt. Pont. juriſd. c. 2. n. 4. & c. 4. n. 5.* Fortunatus Schaccus *Eleochiſm. Myrothecio 2. I.* Fileſacus *de idololat. c. 9.* Non tamen virtute hujus unctionis ullus confertur ordo ſacer, aut aliqua poteſtas ſpiritualis acquiritur, ut reprehenſis Theodoro, & Balſamone *in can. 12. Concilii Ancyrani;* & vindiciarum Auctore, docent & illuſtrant Franciſcus Hallierius *de ſacris elect. ubi ſupra, pag. 1034.* Boetius Epon. *t. 1. q. tit. de regalibus, n. 51.* Anonymus, ſive auctor arbitrii ſupra citatus *c. 8.* Rouſſelius *l. 7. hiſt. Pontif. c. 2. n. 4. & c. 4. nu. 5.* Fortunatus Schacchus *ſacrorum Eleotriſmatum Myrothecio 2. c. 1.* Fileſacus *de idololat. c. 9.* magnus ſemper Præceptor D. Franciſcus Ramos *in ſupplicat. pro Epiſc. Luſit. propoſ. 3. §. 1. in fine:* imo adhuc poſt ſacram unctionem inter laicos enumerari, probatur ex Synodo Laodicena *can. 10.* & Trullana *can. 75.* licet ratione hujus unctionis Regibus pateat aditus ad altare, ut juxta illud poſſint Deo dona offerre, *can. 79. Synodi Trullanæ;* quod aliis laicis non permittitur, *c. 1. de vita, & honeſt.* & Reges Galliæ in quibuſdam Eccleſiis ſui regni habent Canonicatus, ubi cum Epiſcopo ut Subdiaconi celebrant, ut referunt Caſtaldus *de Imperatore c. 24. n. 4.* Hallierius *ubi ſup. pag. 134.* Frances *de Eccleſiis Cathedralib. cap. 5. n. 74.* Quod jus Regis noſtri in Eccleſia Legionenſi, & aliis Caſtellæ probat Valdes *d. c. 14. in fine.* Amplius Imperator poſt unctionem receptam poteſt communicare ſub utraque ſpecie, præcipue in die inaugurationis, & in articulo mortis ut ex bulla Clementis VI. refert Carrier. *tom. 2. digeſti fidei, pag. 645.* quæ omnia obtinent Reges potius ex privilegiis ſibi ſpecialiter conceſſis, quam virtute unctionis.

z *Bis poſt Baptiſmum.*) Quem unctionum ritum probant textus *in c. Eccleſiaſticarum, 11. d. c. deinde, 70. de conſecr. d. 4.* D. Clemens *l. 3. conſtit. cap. 17.* ibi: “ Baptiſmus datur in 21
„ mortem Filii, aqua adhibetur pro ſepultura, oleum pro „ Spiritu Sancto, ſigillum crucis pro cruce, chriſma confirmatio confeſſionis eſt. Et *lib. 7. c. 23.* ibi: Unges eum prius „ oleo ſancto, deinde baptizabis aqua, poſtremo ſignabis unguento chriſmatis, ut ſit oleum unctionis participatio ſpiritus, aqua ſymbolum mortis, unguentum chriſmatis ſigillum paſſionum. „ Dionyſius *de Eccl. Hierarch. cap. 2.* Cyprianus *ep. 70. ad Januarium,* Cyrillus Hieroſolym. *cathecheſi 2.* Optatus Milevit. *contra Parmen. l. 7.* D. Ambroſius *l. 1. de ſacris, c. 2.* Damaſus Papa *ep. 4.* D. Auguſt. *ſerm. 206. de tempore,* Iſidorus *l. 2. de divin. officiis, c. 22.* quorum, & aliorum auctoritates referunt Jodochus Coccius *l. 4. theſauri c. 9.* Turrianus *l. 2. ep. Pontificum, c. 17. 18. & 19.* Vicecomes *de ritib. baptiſmi, l. 2. c. 35. cum ſeq.* Ritherurſius *in notis ad Salvianum, pag. 87.* Cujus unctionis rationes varias tradunt SS. PP. inter quas ea præcipua eſt, ut ſicut athletæ, ſeu luctatores olim ante agonem ungi ſolebant ceromate; ita & Chriſtiani ad ſpirituale certamen in vita obeundum inungantur; quam expreſſerunt D. Ambroſ. *l. 1. de ſacram. c. 5.* dum ait: *Venimus ad fontem, ingreſſus es, conſidera quos videris, quid loquutus ſis conſidera, repete diligenter, occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter; unctus es quaſi athleta Chriſti, quaſi luctamen hujus ſæculi luctaturus.* Cyrillus *cathecheſi 3.* Illuſtrant Petrus Faber *l. 2. agoniſt. c. 5.* Briſſonius *in lege die Dominico, C. de ſpectaculis, pag. 138. & 162. in parvis.* Alias hujus unctionis adducunt rationes Joſephus Vicecomes *l. 2. de ritibus baptiſmi, c. 36.* Fr. Joſeph. a S. Maria *de cærem. baptiſm. c. 19. & 20.*

aa *In vertice.*) Imo priſcis Eccleſiæ temporibus per inte- 22
grum corpus cathecumenus ungebatur, unde nudus incidebat: ut poſſet a miniſtro baptiſmi ungi. Dionyſius *d. cap. 2.* ibi: „ Cum ei plane veſtes miniſtri detraxerunt, tunc ſacerdotes „ ſacrum unctionis oleum offerunt. *Cyrillus* catecheſi 2. Deinde vero jam exuti, exorcizato oleo, a ſummis capillis ad „ infimos uſque peruncti eſtis. *Severus Alexandrinus* l. de baptiſmo. Tunc ſignat oleo olivæ ſacerdos eum, qui baptizatur, & ungit omnia illorum membra, manus & pedes, „ & nares eorum; tunc demum induuntur ſuis veſtimentis. „ Hujus ritus varias rationes aſſignat & illuſtrat Vicecomes *de ritibus baptiſmi c. 37. 38. & 40.*

bb *In fronte.*) Circa hanc unctionem plerumque SS. PP. & 23
DD. diſſentiunt, eam accipiendo pro unctione Confirmationis ab Epiſcopo facienda, de qua egi *in c. quanto, de conſuet.* Verum unctio, de qua in præſenti, fit a presbytero poſt baptiſmum in formam crucis. D. Aug. *ſerm. 1. ſecundæ partis: Ne dubitares, ne erubeſceres, quando primum credidiſti, ſignum Chriſti in fronte tamquam in domo pudoris accepiſti; recole frontem tuam, ne ſigna expaveſcas aliena.* Plura de hac unctione Vicecomes *d. c. 40.* Menardus *ad librum ſacrament. D. Gregorii, pag. 73. & 143.* Savarus *ad Sidonium l. 2. ep. 12. pag. 213.* & nos *in d. c. quanto.*

cc *Manus impoſitio.*) A ritu enim & cæremonia hujus unctio- 24
nis ſacramentum hoc dicitur manus impoſitio, quia Epiſcopus ſupra confirmandum manus imponit. Concilium Illiberit. *can. 38.* Matiſc. 2. *can. 3.* D. Hieron. *contra Luciferianos,* ibi: *Ut baptizatis poſtea manus imponatur, & ita invocetur Spiritus ſanctus.* Illuſtrat Vicecomes *tom. 2. de ritibus Confirm. l. 2. c. 2. 3. & 4.* Baſilius *de Confirm. c. 1. n. 6.* A materia remota hoc ſacramentum dicitur chriſma, D. Aug. *l. 2. contra Petilianum, cap. 104.* a proxima materia dicitur unctio. Concil. Laodic. *can. 48.* frequenter tamen ab effectu dicitur confirmatio. Hoc enim ſacramentum datur ad corroborandum Chriſtianum in fide; unde Melchiades Pontifex epiſtola decretali ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ait:

BIBLIOTECA CENTRAL

ait: *Confirmatio armat, & inſtruit nos ad agonem vitæ iſtius.* Quo in ſenſu Confirmatio dicitur in Concilio Arauſic. 1. *can. 1.* in ſexta Synodo *can. 7. in cap. 1. c. ut jejunium, de conſecr. diſt. 5.* Florentino *de unione Armenor. verſic. Secundum ſacramentum.* Trident. *ſeſſ. 8.* Plura de inſtitutione, & neceſſitate hujus ſacramenti tradunt ultra Moraliſtas, & congeſtos a Baſilio *in tract. de Confirm.* Lemaiſtre *in confutatione Sorbonic. p. 1. c. finali,* Coriolanus *in Breviario, anno 43. num. 35.* Hallierius *in vindiciis, l. 2. c. 2.*

dd *Summus Sacerdos.*) Dixi late *in c. quanto, de conſuet.*

ee *Ungitur præterea.*) De hac unctione agemus *in titul. de conſecrat. Eccleſiæ.*

25 ff *Unctionis ſacramento.*) His verbis ſatisfacit Innocentius argumento adverſariorum, qui aſſerebant Eccleſiam non debere uti benedictionibus, quia Judæi illis utebantur; ſicut nec ob eamdem rationem Eccleſia utitur circumciſione, aut aliis præceptis cæremonialibus; nam ſicut Eccleſia alias plures cæremonias legis veteris tranſtulit in legem gratiæ, uſumque, & collationem Sacramentorum, ut dixi *in c. translato, de conſtitut.* & exemplis probat Hallierius *de ſacris elect. ſect. 8. de cæremoniis, c. 1.* ita hunc unctionis ritum in lege veteri ad præfigurandum uſitatum, uſurpavit, & tranſtulit ad veritatem demonſtrandam: quod Eccleſiam facere potuiſſe, jam probavi *d. c. translato,* & docet Hallier. *ubi ſup. pag. 1018.*

26 gg *Cardinalem.*) Leonem videlicet, qui Legatus miſſus fuit in Bulgariam, ſeu Balachiam, ut Calojoannem, ſive Joannicum illius nationis Principem diademate Regio coronaret. Ab eo enim Cardinale juſſit Innocentius Archiepiſcopum inungi, & cum Primatis titulo ipſius Regni ornamenta Pontificalia miſit: referunt Spondanus *an. 1204. n. 13.* Boſquetus *in geſtis Innocentii III.*

27 hh *Caligas.*) Licet caligam proprie eſſe calceamentum militare, affirmet Balduinus *in l. de calceo antiquo, c. 13.* verius eſt, eſſe indumentum commune, tam militibus, quam paganis; tam ſacris, quam profanis. De caligis profanis agunt Cicero *Philippica 2. Cum caligis, & lucerna cucurriſti.* Juvenalis ibi: *Veniam caligatus in agros.* Joſephus *l. 7. de bello Judaico, c. 3.* refert Julianum Centurionem caligas creberrimis atque acutis clavis fixas geſtaſſe. De caligis ſacrorum miniſtrorum meminerunt D. Greg. *l. 1. dialog. c. 4.* ubi de quoddam Abbate ait: *Ecce vir Dei clavatis calceatus caligis veniebat.* Et *l. 3. c. 20.* agens de Stephano ſacerdote refert, *caligas e tibiis traxit.* Caſſianus *l. 1. inſtit. c. 10.* de monachis Ægyptiis ait: *Tantummodo caligis ſuos muniunt pedes.* Etiam dicuntur caligæ compagi, ſive cambagi: Ordo Romanus *l. de divin. officiis, tit. qualiter Epiſcopus in R. Eccleſia ordinetur,* ibi: *Et induant ipſum electum cambagos.* Quo modo accipiuntur *in c. pervenit. 21. 98. diſt.* Non autem, ut vulgo creditur, caligæ, ſeu compagi, tantum pedum tegumenta ſunt, imo potius tibiarum, quæ uſque ad genua protenduntur. Unde a D. Gregorio appellantur tibiales: illæ autem, licet coriaceæ vulgo deferrentur, tamen a Regibus, & Epiſcopis ſericeæ, & valde pretioſæ geſtabantur; quare Surius *in canonizat. S. Eduardi Regis,* refert S. Eduardum jacentem in veſtitu deaurato, calceatum caligis purpureis, & calceamentis pretioſis: & in veteri ordine coronationis Regis Francorum, qui extat *l. 5. Decret. Eccleſiæ Gallic. tit. de præparat. inſignium, & ornamentorum Regalium:* legitur: *Præparatis & poſitis ſuper altare corona Regia, gladio in vagina incluſo, calcaribus aureis, item caligis ſericeis, & hyacinthinis.* De caligis Epiſcoporum Innoc. III. *l. 1. myſter. Miſſæ, c. 48.* ita ait: *Prius autem caligis induitur uſque ad genua protenſis, ibique contritis.* Et *ſermone 3. de ſignificat. indument.* ibi: *Antequam induantur ſandaliis veſtiuntur caligis byſſinis, vel lineis, uſque ad genua protenſis.* Alia proſequuntur de his caligis Vicecomes *t. 4. de ritib. Miſſæ; l. 3. c. 12. & 13.* Sauſay *in Panopl. Epiſc. l. 7. c. 2. & 7.* Meurſius *in Gloſſario, verbo Compagi.*

ii *Sandalia.*) De his egi *in c. fin. de auct. & uſu pallii.*

jj *Amictum.*) Amictus apud profanos ſcriptores, pro ve-
28 ſte, quæ ceteris indumentis ſuperponitur, accipitur. Virgilius *l. 3. Æneid.* ibi.

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Prudentius licet non profanus de profano amictu contra Symmachum ait:

Candidiore toga niveum pietatis amictum
Aſſumere.

Apud eccleſiaſticos vero accipitur pro veſte ſacerdotali communi Epiſcopis, & ſacerdotibus, quæ ſacrificantis humeros lato circumamictu amplectitur. De hac veſte Carolus Magnus *de ritibus veteris Eccleſiæ ab Vuolfango Lazio collectis,* ibi: “ Poſt „ ſandalia in Eccleſiæ veſtimentis ſequitur ſuperhumerale, quod „ ſit ex lino puriſſimo. *Fortunatus* de eccleſiaſticis officiis l. 2. „ c. 17. *ibi:* Amictus eſt primum veſtimentum noſtrum, quo „ collum undique cingimus. *Innocentius III.* l. 1. de myſter. „ Miſſæ, *c. 10. ibi:* Sex autem ſunt indumenta communia E„ piſcopis, & Presbyteris; videlicet amictus, alba, cingu„ lum, ſtola, manipulus, & planeta, quæ appellatur ſuper„ humerale, quia ſuper humeros extenditur. *Albinus Flaccus* „ de divin. officiis c. de ſingulis veſtibus, *ibi:* Habent etiam „ nunc miniſtri Eccleſiæ Chriſti ſuperhumerale, quod ami„ ctum vocamus in aliquibus Eccleſiis, ſupra albam indutum. „ Varia de ejus materia, forma, & uſu tradunt Vicecomes, *t. 4. de ritib. Miſſæ, l. 1. c. 1. cum ſeq.* Sauſay *in Panopl. Epiſc. l. 1. c. 4. pag. 56.* qui probant amictum ex lino eſſe debere; nam & Ægyptii Sacerdotes, & reliqui Iſidis & Serapidis lineis veſtibus utebantur, ut poſt alios ſcriptores refert D. Hieron. *in c. 44. Ezechielis.* Ab Ægyptiis edoctus Pythagoras non alio veſtitu ſuos ſacerdotes uti voluit: auctor eſt Jamblicus *l. 1. de vita Pythagoræ, c. 21.* & ab ipſis accepiſſe Hebræos, conſtat *ex c. 26. Levitici:* & Apulejus *apolog. 1. pag. 349.* rationem reddit hujus uſus his verbis: “ Quod ex lino contextum eſt, pu„ riſſimum eſt rebus divinis velamentum. Quippe lana, ſe„ gniſſimi corporis excrementum pecoris detracta, jam inde „ Orphæi, & Pythagoræ ſcitis profanus veſtitus; ſed mundiſ„ ſima lini ſeges, inter optimas fruges terræ exorta, non „ modo indutui, & amictui ſanctiſſimis Ægyptiorum Sacer„ dotibus, ſed opertui quoque inde rebus ſacris uſurpatur. „ Et *l. 11. de Aſino, pag. 212.* ubi pro *linteis injectum,* lego *intectum.* Illuſtrat Fileſacus *l. 1. ſelect. c. 3. ad finem.*

kk *Albam.*) Alba veſtis eſt communis, non ſolum Epiſco- 29
pis, & Sacerdotibus, verum etiam aliis miniſtris eccleſiaſticis, *c. Epiſcopus Presbyter 11. q. 3.* Concilium Narbon. “ anno „ 589. can. 12. Hæc maxime pro Dei timore, & modo diſci„ plinæ canonicæ elegimus cuſtodienda, & tenenda, ut dum „ Miſſa celebratur, nullus Presbyter, aut Diaconus abſque „ aliqua infirmitate, dum Miſſa perficitur, egredi de altari „ audeat, nec Diaconus, aut Subdiaconus certe, vel lector, „ antequam Miſſa conſummetur, alba ſe præſumat exuere. „ Extra divina autem officia uti alba prohibitum eſt in Conc. Carthag. *can. 41.* Plura de ejus uſu apud Judæos, Gentiles, & Chriſtianos tradunt Vicecomes *d. t. 4. l. 2. cap. 10. cum ſeq.* Sauſay *in Panopl. Sacerdot. p. 1. l. 2. c. 2.* & *in panopl. Epiſcopali, l. 6. cap. 6.* Bulengerus *l. 1. opuſcul. l. 34.* P. Gabriel de Henao *de ſacrif. Miſſæ, p. 2. diſp. 27. ſect. 10.*

ll *Cingulum, & ſuccinctorium.*) Aliud tamen eſt cingulum, 30
aliud ſuccinctorium. Cingulum eſt zona, ſeu baltheus, quo cingitur Sacerdos, & Sacerdotibus veteris legis non ignotum, imo ab eis ad noſtros traditum. Plura de eo adducunt Vicecomes *d. l. 2. c. 13. cum ſeq.* Sauſay *in Panopl. ſacerdot. l. 3. c. 4.* Succinctorium vero eſt veſtis propria Epiſcoporum, primis Eccleſiæ ſcriptoribus hoc nomine ignota, de qua Nicephorus Conſtantinop. Epiſcopus *in ep. ad Leonem III. Symbolum autem mediatricis inter nos dilectionis miſimus fraternæ veſtræ Beatitudini encolpium aureum, & ſemicinctia auro variegata.* Innocentius noſter, qui ejus formam reſcribit *ſerm. 3. de ſignif. indumentor.* ibi: *Unde eſt, quod inter indumenta Pontificalia adhuc circa renes applicantur linea feminalia, non tam ad velandam carnis turpitudinem, quæ jam ſolitis operta eſt veſtimentis, quam propter ſignum caſtitatis conſervandæ.* Plura de ſuccinctorio Vicecomes *d. t. 4. l. 3. c. 16. cum ſequentibus.*

mm *Orarium.*) De quo egi *in c. a multis, de ætate & qualit.*

nn *Manipulum.*) Ut cognoſcamus quid per manipulum tam 31
noſter Innocentius, quam ſacris Patres accipiant, ſciendum eſt, priſcis fidei chriſtianæ, & religionis Sacerdotibus in uſu fuiſſe, quoties ſacra facturi erant, linteum in manu, vel ſinu tenere, ut ſudorem faciei, oculorum, aut narium humorem defluentem abſtergerent; quod eccleſiaſtici Patres modo mappulam, aliquando mantile, ſæpe ſanonam appellant: plura Vicecomes *l. 2. c. 33.* In locum tamen hujus mappulæ deferri cœpit manipulus. Stephanus Edunenſis *de ſacrament. altaris c. 10.* ibi: “ Mappula, qua ſolent ſiccari ſtillicidia oc„ culorum, excitat nos ad vigilandum; manipulus ſignificat „ hanc mappulam, qui in ſiniſtro brachio collocatur, ut dex„ tera manus expedita ſit ad reliquas actiones præſtandas. „ *Rupertus* de divinis officiis: Manipulus quem in brachio ſi„ niſtro geſtat Subdiaconus, dextro vacante, ut expeditum „ ſit ad adminiſtrandum, illud nobis innuit. „ Manipulum deferre non poteſt, qui non fuerit in Subdiaconum ordinatus, Concilium Pictavienſe 2. *c. 5.* ibi: *Ut nemo monachorum deinceps manipulis utatur, niſi fuerit Subdiaconus ordinatus.* Plura de manipulo Sauſay *in Panopl. ſacerdot. l. 4. per totum,* Vicecomes *d. l. 2. c. 34. & 35.* Bulengerus *l. 1. opuſcul. c. 42.* Menardus *ad D. Greg. pag. 363.* Sed in hac parte exponendus eſt textus parum notus *in cap. illud 22. 93. d.* ubi aſſeritur tantum eos, quibus conceſſum eſt mappulis uti, eas deferre poſſe; alios vero nec virtute conſuetudinis poſſe mappulas induere; ergo non recte aſſerimus, mappulis, ſeu manipulis Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos uti poſſe. Cujus textus difficultas diſſolvitur, ſi animadvertamus, quid per mappulas in eo textu accipiatur. Et omiſſis ſententiis Gloſsæ, Archidiaconi, & Turrecrematæ *ibi,* dicendum, eſt D. Greg. in eo textu agere de mappula, quæ quatuor baculis colligata, ex illis ſuſpenſa ſupra Pontificem deferri ſolet, quam nos vulgo appellamus *Pallio:* Innocentius noſter *l. 2. de ſacrificio Miſſæ, c. 7.* cum autem hujuſmodi mappulæ uſus introductus eſſet in ſignum ſupremæ Pontificiæ poteſtatis, uſurpari ab aliis inferioribus ſine Pontificis licentia non poterat, argumento textus *in c. cum non liceat de præſcrip.*

oo *Tunicam.*) Tunica licet lato modo pro dalmatica ac- 32
cepta, communis veſtis ſit Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, ut probant Vicecomes *d. l. 3. c. 20.* Sauſay *in Panopl. Epiſc. l. 6. c. 3.* tamen ſi accipiatur pro veſte ſuperiori hyacinthina, propria eſt Epiſcoporum, a ſacerdotibus veteris Teſtamenti uſitata. Nicephorus Epiſcopus *in d. ep. 3. ad Leonem III.* Rupertus *de divin. officiis l. 1. c. 23.* ibi: *Quæ hactenus dicta ſunt, Presbyteris, & Epiſcopis ſunt communia: quæ vero ſequuntur, Epiſcoporum propria: tunicam, quam ſubter caſulam habet Pontifex, in veteri Teſtamento coloris erat hyacinthini.* Innocentius noſter *l. 1. de myſter. Miſſæ, c. 10.* De cujus forma, colore, & ſignificatione agunt Vicecomes *ubi ſup. c. 22. & 23.* Sauſay *ubi proxime,* Bulengerus *d. l. 1. c. 31.*

pp *Dalmaticam.*) Dalmatica apud Romanos genus fuit 33
tunicæ manicatæ talaris, albæ, auroque ſæpe, aut purpura inter-

intertextæ; quam chiridatam veteres vocant. Ea qui utebantur, quia ad inſtar tunicæ femineæ prolixa, & ad talos uſque demiſſa, manicis etiam brachia uſque ad primiores manuum digitos amiciebat, molles, & evirati habebantur. Poſtea dalmaticæ cum Senatoriæ & Regiæ veſtes eſſe cœpiſſent, uti digniores, auguſtioreſque tranſlatæ ſunt ad ſacros eccleſiaſticos uſus, & formatæ prius in modum crucis. Alcuinus *c. quid ſignificent veſtimenta*, Rabanus Maurus *l. 2. de inſtit. cleric. c. 20.* Amalarius *l. 2. c. 11.* Iſidorus *l. 19. orig. c. 22.* Hæc veſtis primis Eccleſiæ ſæculis non omnibus Epiſcopis communis fuit, poſtea Epiſcoporum propria veſtis dicta, tandem diaconis, & ſubdiaconis conceſſa eſt. Vualfridus Strabo *de rebus Eccl. c. 24.* ibi: *Primo quidem ſacerdotes dalmaticas ante caſularum uſum induebant; poſtea vero cum caſulis uti cœpiſſent, dalmaticas diaconibus conceſſerunt.* Ipſos autem Pontifices eis uti debere, ex eo clarum eſt, quod Gregor. vel alii Romanorum Præſides aliis Epiſcopis earum uſum permiſerunt, aliis interdixerunt: ubi intelligitur, non omnibus tunc fuiſſe conceſſum, quod tunc fere omnes Epiſcopi, & nonnulli Presbyterorum ſibi licere exiſtimant, ideſt, ut ſub caſula dalmatica veſtiantur. De ejus origine & forma nonnulla Vicecomes *d. l. 3. c. 25. 26. & 28.* Sauſay *in panopl. Epiſc. l. 6. c. 6.* Dartis *ad 23. d.*

34 qq *Chirothecas.*) Eas ab Apoſtolis emanaſſe prodidit Honorius Auguſtodunenſis *in gemma animæ, l. 1.* ibi. *Chirothecarum uſus ab Apoſtolis eſt traditus.* Ita legendum eſt, non *ab epiſtolis*, ut vulgo legitur. Innocentius III. *l. 1. de myſter. Miſſæ, c. 57.* ibi: *Manus operit chirothecis.* Plura de illis Sauſay *in Panopl. Epiſc. l. 5. c. 1.* Vicecomes *d. l. c. 37.* Bulengerus *l. 1. opuſcul. c. 4.* Durantius *l. 3. in ration. divin. officii, c. 12.*

35 rr *Annulum.*) Etiam inter ornamenta Epiſcopi enumeratur annulus, *c. clerici de vita & honeſt. cleric.* qui traditur tempore conſecrationis in ſignum matrimonii inter ipſum, & Eccleſiam celebrati, juxta tradita *in cap. illud, de præſumpt.* aut in ſignum poteſtatis adminiſtrandi Sacramenta. Iſidorus *l. 2. de eccl. officiis, c. 5.* Concilium Aquiſgran. *can. 9.* Beda *in collect. de ſeptem ordin.* Rupertus *l. 1. de divin. officiis, cap. 25.* Alias rationes hujus annuli ex variis tradit Hallierius *de ſacris elect. pag. 1001. de impoſitione manuum art. 4.*

36 ſſ *Planetam.*) Ultima veſtis ſacerdotalis eſt planeta, ſive caſula, communis Epiſcopis, & Presbyteris. Carnot. *ſermone 3. de ſignificat. indument.* ibi: *His omnibus indumentis ſupponitur caſula, quæ alio nomine planeta vocatur.* Innocentius noſter *l. 1. myſter. Miſſæ, c. 58.* ibi: *Poſtremo ſuper omnes veſtes induit caſulam, ſeu planetam quæ ſignificat charitatem.* Plura de ea Vicecomes *d. l. 2. c. 26.* Sauſay *in Panopl. l. 6. c. 9.*

37 tt *Mitram.*) Omiſſis variis mitræ acceptionibus, tam apud ſacros, quam profanos ſcriptores, hic mitra accipitur pro tegumento capitis proprio Epiſcoporum. Innocentius noſter *ubi ſup. l. 1. c. 6. Mitra Pontificis utriuſque Teſtamenti ſcientiam ſignificat; nam duo cornua, duo ſunt Teſtamenta.* De ejus nominibus, forma, & ſignificatione agunt Merillus *l. 3. obſerv. c. 40.* Vicecomes *l. 3. c. 29. cum ſequentib.* Sauſay *in panopl. Epiſc. l. 1. per totum*, Raynaud. ſeu qui auctor eſt tractatus *de Pileo, ſect. 14.* Lælius Biſciola *l. 17. horarum, c. 13.* Rouſſelius *l. 8. hiſt. Pont. juriſd. c. finali.*

uu *Pallium.*) De eo fuſe egi *in tit. de auctorit. & uſu pallii.*

38 xx *Pontifex non utatur.* Unde R. Petrus in marmorea ſtatua, quæ habetur Toloſæ in Eccleſia S. Stephani, licet Pontificalibus ornamentis indutus, ſine baculo expreſſus eſt. Aliquos tamen Pontifices baculo uſos fuiſſe, videtur probari ex Luitprando *l. 6. hiſtoriæ*, ubi de Benedicto Antipapa ita refert: *Poſt hæc pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum Pontificali ferula, quam manu geſtabat, Domino Leoni Papæ reddidit.* Reginus *l. 2. chronicæ*, de ipſo agens, ibi: *Ferulamque paſtorali manu eius abreptam coram omnibus in fruſta confregit.* Sed adhuc crederem, nunquam eos baculo uſos fuiſſe, cum nec in aliquo Eccleſiæ Concilio id legamus, & fabulam Benedicti refellant DD. infra citandi.

39 Exponitur cap. nullus de conſec. diſt. 2.

yy *Baculo paſtorali.*) Signanter expreſſit Innocentius *paſtorali*, ad differentiam aliorum, quibus diverſæ perſonæ utuntur. Reges enim plerumque baculis uti, probant Petrus Gregor. *lib. 5. de Repub. c. 2. a n. 21. & lib. 7. c. 2. nu. 12.* Pancirola *lib. 1. variar. c. 19.* Opingius *de jure inſignium c. 2. §. 4. & §. 6. ſect. 5. membro 5.* & monachos baculis uti refert Caſſianus *libro 1. collat. c. 9.* Ubi notavit Gazeus. Abbates etiam, quibus conceſſum eſt jus mitræ, & baculi, baculum deferre, late probant Sauſay *in Panopl. Epiſc.* benedictus Ephtenus *l. 4. diſquiſit. tr. 5. diſquiſit. 5.* Alii etiam baculis utuntur de quibus eruditiſſimi viri Novarinus *in ſchediaſmate, l. 1. c. 38.* Coronel. *ad Gongoram, ſoneto 6.* In præſenti ergo agitur de baculo Epiſcopali, qui aliquando dicitur *Cambuta*, ut probat Menardus *ad D. Greg. pag. 189.* Baculus enim inſigne eſt Epiſcoporum. Conciliorum Tolet. 4. *can. 77. Si Epiſcopus eſt, recipiat coram altari orarium, annulum, & baculum.* Unde in Synodo 8. Conſtantinop. *act. 7.* ingreſſo Phocio Synodum cum baculo, Marinus Legatus S. A. juſſit auferri baculum, dicens: *Baculum ſignum eſt dignitatis paſtoralis, quod hic habere non debet, qui lupus eſt, non paſtor.* Quare inveſtitura Epiſcopalis traditur per annulum, & baculum. Goſridus *de inveſtituris laicorum*; & ideo in aliquibus Eccleſiis mos inolevit, ut defuncto Epiſcopo, baculus ad regem deferretur, ut ab eo ſucceſſor inveſtituram per baculum reciperet; quem uſum improbavit Innocentius III. *l. 1. ep. 47.* jubens Archiepiſcopo Callenſi, *Ut cum te, vel aliquem ſuffraganeorum tuorum contigerit mori, baculus paſtoralis, & annulus in Eccleſia remaneant propria, ſub fideli cuſtodia conſtituti, ad ſucceſſoris uſum, cum Deo favente conſecrationem acceperit, conſervandi.* Notavit Boſquetus *ad Innocent. l. 1. ep. 87.* Et ſicut in conſecratione Epiſcopi accipiunt baculum, & annulum, ita in degradatione baculus illis aufertur. Plura de Paſtoralis baculi origine, uſu, & ſignificatione adducunt Vicecomes *d. l. 3. c. 41.* Sauſay *in Panopl. Epiſc. l. 2.* Juretus *in notis ad Ivonem, ep. 157.* Opingius *ubi ſup.* Aloix *in vita S. Aburci, c. 3.* Stephanus Durantius *de ritibus Eccleſiæ l. 2. c. 9. n. 38.* Bulengerus *l. 1. opuſc. c. 32.* Aloyſius Novarinus *l. 1. ſchediaſm. ſacr. proph. c. 28.* Petrus Greg. *l. 15. ſyntag. c. 12. n. 38.* Franciſcus Hallier. *de ſacris elect. 2. p. ſect. 8. c. 9. art. 4. §. 2.*

Sed difficilis eſt in hac parte textus *in c. nullus 57. de conſecr. diſt. 2.* in illis verbis; *Nullus Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat cum baculo introire.* Igitur non licet Epiſcopis deferre baculum. Pro cujus textus expoſitione dicendum eſt, in eo textu non agi de baculo paſtorali, ſed de baculo communi; & deciditur, cum baculo, & velato capite non licere Epiſcopo, aut ſacerdoti celebrare. Quæ interpretatio colligitur ex eo, quod æqualiter prohibetur Epiſcopo, ac ſacerdoti cum baculo miniſtrare: licet enim ob infirmitatem liceat aliquando in choro horas canonicas cum baculo recitare, Concilium Aquiſgran. ſub Ludovico *c. 131.* ibi: *Quam non pompatice, vel inhoneſte, vel incompoſite, ſed cum reverentia Dei, & timore ingrediantur, nec cum baculis in choro, exceptis debilibus.* Tamen Miſſam celebrare cum baculo non licet, ut docet, & alia pro ipſius textus interpretatione adducit litteratiſſimus vir, in ſacra Theologia apprime doctus, in peritia canonica non male meritus P. Gabriel de Henao *t. 2. de ſacrificio Miſſæ, diſp. 27. ſect. 3.* 40

zz *Propter hiſtoriam.*) Gloſſa in præſenti exiſtimavit hiſtoriam eſſe, quia B. Martialis, qui miſſus fuit a D. Petro in Germaniam cum ſocio quodam ſuo Matthæo, eo mortuo reddit ad D. Petrum, a quo baculum accepit, quo ſocium vitæ reſtituit. Sed hæc hiſtoria præterquam a nullo ex Scriptoribus Eccleſiaſticis refertur, admitti non poteſt, cum hiſtoriam hic indicatam expreſſerit noſter Innocentius *l. 1. Myſter. Miſſæ, c. 62.* in illis verbis: *R. Pontifex virga non utitur, pro eo quod B. Petrus Apoſtolus baculum ſuum miſit Eucherio primo Epiſcopo Treverenſi, quem una cum Valerio, & Materno ad prædicandum Evangelium genti Teutonicæ deſtinaverat, cui ſucceſſit in Epiſcopatu Maternus, qui per baculum S. Petri de morte fuerat ſuſcitatus; quem baculum uſque hodie cum magna reverentia Treverenſis ſervat Eccleſia.* Sequuntur Innocentium D. Thomas *in 4. d. 24. q. 2. art. 9.* Vicecomes *d. l. 3. de ritibus Miſſæ, c. 42.* Hallierius *ubi ſup.* Etſi ad primam hiſtoriam hæc verba poſt D. Thomam *in 4. d. 24. quæſt. 3. ad 8. argum.* referant Otho Friſingenſis *l. 3. c. 15.* I. Stephanus Valent. *de poteſt. R. P. c. 8.* Falſo autem ex Luitprando *l. 6. c. 11.* & Reginone *l. 2. chronici*, probant Juretus *ad ep. 157. Ivonis*, Valentinus, *ubi ſup.* R. Pontificem olim uſum fuiſſe virga paſtorali, ſeu ferula paſtoritia, ut ipſi nominant: quos refellit veram hiſtoriam a Luitprando traditam referens, & explicans Theophilus Raynaud. *t. 10. in tract. de Corona R. Pontificis, c. 4.* 41

aaa *Myſticam rationem.*) Plures hic afferunt Interpretes. Prima eſt, quia Epiſcopus baculum ab alieno accipit. Concilium Aquiſgran. *can. 9.* ibi: *Sacerdoti dum conſecratur, datur baculus.* Unde cum Pontifex a nullo accipiat juriſdictionem, non poteſt de manu alicujus baculum accipere. Secunda, quia baculus in ſummitate curvus ſignificat juriſdictionem Epiſcopi eſſe limitatam; unde cum Pontifex non habeat limitatam juriſdictionem, baculo non utitur. Has, & alias rationes proſequuntur Hallier. *ubi ſup.* Bulengerus *1. opuſcul. cap. 31.* Juretus *ad Ivonem epiſt. 157.* Auctor Romæ Subterraneæ *cap. 29.* Hallierius *ubi ſup. pag. 1005.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 1. tit. 1. c. 2.* Theophilus *t. 10. de Corona R. P. cap. 4.* 42

bbb *Aliorum Pontificum.*) Ideſt Epiſcoporum. Ex his verbis conſtat, Patriarchas, & Epiſcopos Eccleſiæ Orientalis baculos paſtorales deferre: quod etiam ſuadetur ex his, quæ de Phocio ex Concilio Conſtantinop. retulimus, quos ab Imperatore accepiſſe refert Hallier. *ubi ſup. pag. 1004.*

COMMENTARIUM.

DEcidit ergo Innocentius in hac diffuſa epiſtola, in conſecrationibus Epiſcoporum, & ordinationibus Presbyterorum Græcos debere eas unctiones adhibere, quas adhibent Latini. Quæ deciſio ſingularis eſt in jure noſtro. Eam tamen pertractant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti*, Franciſcus Hallierius *de ſacris elect. ſect. 8. art. 2. pag. 1093.* Menardus *ad D. Greg. pag. 291. & 307.* & alii in ſuperioribus notis laudati. 43 Sententia hujus textus refertur.

Sed hæc Innocentii deciſio, dum ſupponit apud Latinos adhiberi unctionem, tam in conſecratione Epiſcopi, quam ordinatione Presbyteri, difficilis redditur ex ea conſideratione. Et primo apud Latinos unctionem non adhiberi, probatur argumento negativo; ſiquidem ſeduli, & antiqui rituum eccleſiaſticorum ſcriptores Eccleſiæ Latinæ, dum ritus adhibendos in ordinationibus Epiſcoporum, & Presbyterorum recenſent, non meminerunt hujus ſacræ unctionis, ut D. Iſidorus *l. 2. de divinis officiis, c. 10.* Alcuinus *eod. tr. tit. Qualiter Epiſcopus in Romana Curia ordinetur*, Rabanus Maurus *l. 2. de inſtit. cleric. c. 5.* Carnotenſis *de excellent. ſacror. ordin.* Similiter Concilia, ubi de his cæremoniis agitur, ut Carthag. 4. *can. 2.* Tolet. 4. *can. 27.* Aſquiſgran. ſub Ludovico Pio *l. 1. c. 2.* nullam faciunt mentionem hujus ordinationis: igitur quia in 44 Quædam difficultas adducitur.

Eccleſia Latina talis unctio non adhibetur. Augetur hæc conſideratio *ex c. præterea Servatoris, diſt. 33.* ubi Nicolaus Pontifex aſſerit, nunquam ſe legiſſe unctionem adhibitam fuiſſe in conſecratione, ſive ordinatione Epiſcopi, aut Presbyteri. Secunda difficultas verſatur circa aliam partem præſentis epiſtolæ, ubi aſſerit Innocentius, in Eccleſia Orientali hanc unctionem in uſu non fuiſſe, de cetero vero obſervandam eſſe; nam etiam ante Innocentium noſtrum hanc unctionem apud Græcos in uſu fuiſſe probatur ex Dionyſio *de Eccleſ. hierarch. c. 4.* ibi: *Unguento utitur Pontifex in omni fere Pontificio munere.* D. Greg. Nazianz. *orat. 4. Unguentum quoque ipſe quoddam habeo (ſed quo Sacerdotes ſolum & Reges ungantur, utpote vario, & exquiſito, & noſtra cauſa effuſo) magni unguentarii arte confectum, atque utinam mihi ſuavem ejus odorem Deo offerre contingat.* Etiam probatur ex hiſtoricis Scriptoribus illius nationis, qui referunt in variis Epiſcoporum conſecrationibus adhibitam unctionem fuiſſe. Nicephorus *l. 7. hiſtoriæ, c. 40.* dum panegyricam orationem in laudem Paulini, & aliorum Præſulum Eccleſiæ Orientalis refert, ita exorditur: *O amici Dei, & Sacerdotes, qui ſacroſancto talari induti, cæleſtis gloriæ corona, divina unctione, & ſacrata Sancti Spiritus ſtola circumveſtiti.* Et *l. 11. c. 56.* Moſem Sanctiſſimum Antiſtitem Epiſcopali unctione acceptа ordinatum fuiſſe refert Ignatius Taracin. *in ejus vita.* Metaphraſtes *in vita S. Joannis Chryſoſtomi, cap. 33.* relatus a Surio *die 27. Januarii*, tradit cum ſacro chriſmate conſecratum, & in excelſo loco Eccleſiæ collatum fuiſſe: idem de S. Nicolao is refert in ejus vita, *c. 13.* relatus a Surio *die 6. menſis Decembris.* Unde conſtat in Eccleſia Orientali jam a primis Eccleſiæ ſæculis hanc unctionem in uſu fuiſſe.

45 De ſacra unctione apud Latinos.

Ad hujus textus expoſitionem, & difficultatis adductæ ſolutionem ſciendum eſt, hanc ſacram unctionem apud Latinos in conſecrationibus Epiſcoporum, & ordinationibus Presbyterorum, jam a primis Eccleſiæ ſæculis fuiſſe uſitatam, ut ex Anacleto probatur, cujus meminit Innocentius in præſenti, & nos ſupra verba retulimus ex D. Cypriano, ſi ille auctor eſt opuſculi de operibus Chriſti Cardinalibus, ubi de unctionibus eccleſiaſticis ita ait: *Nec tamen ceſſantibus his, quæ ritu antiquo inoleverant, cum jam in populo chriſtiano circumciſio videretur damnabilis, & ſacrificia idololatriæ imputarentur, unctionis myſterium religio Chriſtiana contempſit; ſed ceteris generali ſanctione damnatis, non ſolum in Regibus, vel Sacerdotibus unctionis honor permanſit, ſed in omnem populum catholicum effuſa eſt hujus gratiæ plenitudo.* Ex Paciano Barchinonenſi Presbytero *epiſt. 3. ad Sempronianum*, ibi: *Qua nos conſignat unctus Sacerdos.* Leone Magno *ſerm. 8. de paſſione Domini*, ibi: *Nunc enim & ordo clarior Levitarum, & dignitas amplior ſeniorum, & ſacratior eſt unctio Sacerdotum.* Etiam probatur ex veteri Ordine Romano, & aliis ſacramentalibus codicibus relatis a Menardo *in notis ad Sacram. D. Gregorii, pag. 291. & 307.* Quamplures etiam Scriptores Sacrorum rituum Eccleſiæ, hujus unctionis meminerunt, ut Amalarius Fortun. *l. 2. de divin. officiis, c. 14.* Eduenſis *de Sacram. Altaris c. 9.* Honorius Auguſtod. *in gemma animæ, l. 1. c. 181. 184. & 189.* Fulbertus Carnot. *ep. 20.* & alii: ac hujus antiquæ unctionis varias rationes morales, & myſticas tradunt Hallier. *ubi ſupra pag. 1021. & 1023.* Sauſay *in Panopl. Epiſc. lib. 5. cap. 1.*

46 De eadem apud Græcos.

Etiam ſciendum eſt, apud Græcos viſibilem hanc unctionem in ordinationibus Epiſcoporum & Presbyterorum nullo modo admiſſam fuiſſe, quod duplici argumento probatur, alio affirmativo, negativo alio. Affirmativum deducitur ex præſenti textu, in illis verbis: *Cum apud vos non conſueverint Pontifices cum conſecrantur, inungi.* Ex Simeone Theſſalonicenſi *de Sacram. ſeu myſteriis Eccleſiæ, l. 8.* ubi reprehendit uſum Latinorum in hac unctione, his verbis: *Retentus Jeſus Chriſtus ipſe ei chriſma, & manibus, & capiti &c.* ex variis Eccleſiaſticis Scriptoribus illius nationis, quorum verba ad adſtruendam ſententiam hanc refert, & expendit Hallier. *ubi ſupr. p. 1009.* Argumentum negativum deducitur ex Dionyſio *l. 4. de Eccleſ. Hierarch.* ubi dum agit de ordinationibus Græcorum, nullam hujus unctionis mentionem facit, nec in Euchologiis ipſorum ſacra hæc unctio in ordinationibus recenſetur, ut notavit Menardus *ad Sacr. D. Gregorii, pag. 322.* igitur quia apud Græcos hæc ſacra unctio olim in uſu non erat.

Quibus præmiſſis ratio præſentis Decretalis ex eo provenit; nam cum Rom. Eccleſia omnium ſit mater, & magiſtra, *c. ſignificaſti 4. de elect.* ubi probavi; & quæ ab ea ſtatuuntur, ab omnibus debeant obſervari, *c. 1. de conſtit.* & conſuetudines Eccleſiæ Rom. ab omnibus ſint cuſtodiendæ, ne membra a capite diſcedant, *c. nolite 3. c. hoc veſtræ, cap. qui neſciat, diſt. 11.* ubi plura Acunna, & Joan. Dartis, Petr. Greg. *l. 1. partit. tit. 4. c. 5.* ideo poſt diffuſam de variis unctionum generibus tractationem. Innocentius tandem concludit, unctionem viſibilem in ordinationibus Epiſcoporum, & Presbyterorum ab Eccleſia Latina uſitatam, a Græcis etiam obſervari debere, ne unione facta utriuſque Eccleſiæ (ut noſtri Innocentii temporibus facta erat) in hac ſacra, & viſibili unctione ab Eccleſia Rom. univerſali diſſentiret. Nec difficultas prima in contrarium adducta obſtat; nam licet Scriptores, & Eccleſiæ Patres in ea expenſi non meminerint hujus unctionis, parum, aut nihil ex eo evincitur; ſiquidem alii ipſius ſæculi Scriptores illius meminerunt, & juxta Philoſophos, quam tam practicos, infirma eſt auctoritas argumenti negativi: quare ſi unus teſtis referat factum, & centum omittant, prævalet depoſitio unius. Unde cum pro noſtra ſententia tot adſint Scriptores, qui etiam illis ſæculis meminerunt hujus unctionis, illis potius, quam iis, qui ipſam omiſerunt, fides præſtanda eſt. Nec obſtat argumentum deductum *ex d. c. præterea*; nam ut recte animadvertit Gloſſa in eo textu, Nicolaus non negat Presbyterorum manus oleo eſſe inungendas, ſed tantum chriſmate non eſſe liniendas. Ut enim ſupra dixi, ea differentia verſatur inter unctionem Presbyteri, & Epiſcopi, quod in unctione Epiſcopi chriſmate unctio fit; at vero in unctione Presbyteri, tantum oleo conſecrato. Unde recte Nicolaus affirmat, Presbyterorum manus chriſmate non eſſe perungendas. Alia proſequitur Franc. Hallier. *ubi ſup. pag. 1017.* Nec ſecundum augmentum adverſatur, cui duplici modo ſatisfieri poteſt. Primo auctoritates in eo relatas accipiendo de unctione myſtica, non vero de viſibili, ut eas explicat Menardus *in notis ad Sacram. D. Greg. pag. 322.* vel ea referendo ad tempus, in quo Eccleſia Conſtantinopolitana non per Græcum Patriarcham regebatur, ſed per Latinum, ut aliquando contigiſſe probavi *in c. quanto, de conſuet.* unde cum eo tempore juxta uſum, & conſuetudinem Eccleſiæ Latinæ Sacramentum Ordinis adminiſtraretur, ideo apud Scriptores Eccleſiæ Orientalis reperitur mentio hujus ſacræ unctionis, ut obſervat Hallier. *ubi proxime, pag. 1017.*

47 Traditur decidendi ratio, & diſſolvitur difficultas.

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

CAPUT PRIMUM.

a Innocentius III.

PAſtoralis, *Et infra*: Præterea nos conſulere voluiſti, an permitti debeat miniſtrare, qui ſine impoſitione manuum fuerit ad ordinem *b* Subdiaconatus aſſumptus: & ſi Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chriſmate, ſed oleo delinitus? Ad quod breviter duximus reſpondendum, quod in talibus non eſt aliquid iterandum, ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerat prætermiſſum.

NOTÆ.

1 a *INnocentius III.*) Nec in hac, nec in tertia collectione, ubi *ſub hoc tit. c. 1.* reperitur hæc deciſio, refertur Epiſcopus, cui Miſſa fit; ſed ex aliis deciſionibus, ubi aliæ partes ejus proponuntur, reſtituenda eſt ita inſcriptio. *Innoc. III. Epiſcopo Helienſi*, ut *in c. paſtoralis, de reſcriptis*, ubi extat alia pars hujus textus, in cujus notis congeſſi alia fragmenta, quæ extant in hoc volumine compilata, ex quibus integra epiſtola reſtituenda eſt.

2 b *Subdiaconatus.*) Sed nonne in ordinatione Subdiaconi adhibetur manus impoſitio? Et certum eſt, non adhiberi, imo loco manus impoſitionis pro materia remota hujus gradus Subdiaconus accipit patenam, & calicem de manu Epiſcopi, *c. Subdiaconatus 11. diſt. 13.* Conc. Tolet. 4. *can. 17.* Iſidorus Hiſpalenſis *l. 4. de officiis c. 14. c. quia juxta 5. qu. 6.* Conc. Florent. *in decreto de unione Armen. §. Sextum Sacramentum.* Probant Diana *p. 10. tr. 15.* P. Gabriel Henao *de Sacrif. Miſſæ, diſp. 26. ſect. 8.* Quomodo ergo in præſenti ſupponitur, Subdiacono manus imponi tempore ordinationis. Quidam neotericus exiſtimabat, textum hunc eſſe accipiendum, cum gradus Subdiaconatus ſacer jam erat poſt tempora Urbani II. ut probavi *in cap. a multis, de ætat. & qualit.* Sed etſi verum ſit, temporibus Innoc. III. hujus textus auctoris, Subdiaconatus gradum ſacrum eſſe, non tamen inde conſtat Subdiacono manus imponi. Quare ea ſolutione omiſſa, verius dicendum eſt, in hoc textu pro *Subdiaconatus*, legendum eſſe *Diaconatus*, ut in variis exemplaribus legi teſtantur Ant. Aug. Hoſtienſis, & Innoc. *in præſenti*; Suarez *de cenſur. diſp. 41. ſect. 4. n. 12.* Vaſquez *3. part. in 3. par. diſp. 238. n. 154.* Granados *controv. tr. 1. diſp. 3.* Cæſar *de Eccleſ. Hierarch. diſp. 10. §. 1.* Franciſcus Hallier. *de ſacris elect. pag. 434.* De manus impoſitione in ordinatione Presbyteri, & Diaconi adhibita, late agunt Morinus *de ſacris ordin. exercit. 7. & 9.* Arcudius *in concord. Sacram. l. 6. c. 6.*